



Restaurierung  
H. D. Lomp  
36110 Schlitz



TM 0290





Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann



Jörg Niehenck (1628-1714) gymnasial rektor  
und Pastor in Rostock

Von den angeführten  
zwölf Disputationen sind  
hier sieben (gezählt 14-20;  
17 doppelt vorhanden)  
zusammengebunden

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

# Prædestinatione,

Pro B. GERHARDO,

Contra

Wendelini Exercitationem VIII.

ANNO M. DC. LVI.

Hoc est,

## JUBILÆO

Almæ Pomeranorum Academiæ

SECUNDO,

Assistente Divinâ Spiritus S. Gratiâ,

Consensu Venerandæ Facultatis

Theologicæ,

PRÆSIDE

DANIELE LAGO, S. Theol. D.

Professore Regio,

RESPONDENTE

JOACHIMO HEIDEMANNO,

Colbergensi,

Examini publico subjecta

Ad diem Novembr. horis matut.



GRYPHISWALDIÆ

Typis Jacobi Jegeri Acad. Typographi exscripta.

15

27

Jg.



DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
PRAEDICATIONE

PROB. GERHARDO

VERBENI FRIEDRICH

KILBI

SECHENDO

ADHUC DIVINA

PROB. GERHARDO

IOACHIMO HEIDENHAIN

Ad diem  
Novembrii horum mensis

Typis Jacobi Jegeri Act. Typographi







quod de rebus divinis pronunciauit  
*Ambrosius lib. 1. de Vocat. gent. c. 7.* Quæ  
DEUS occulta esse voluit, non sunt  
scrutanda: quæ autem manifesta  
fecit, non sunt neganda, ne in illis  
illicite curiosi, in istis damnabiliter  
inveniamur ingrati; apprimè ad  
augustum etiam PRÆDESTINA-  
TIONIS mysterium quadrat. Quicumque autem sati-  
us ducunt, promiscuam plebeculam hoc ipsum pror-  
sus celare, quam verborum quicquam in Ecclesiâ de  
eodem facere, toto errant cœlo, nec exemplum Pauli,  
quem nihil eorum intermisisse constat, quæ ad pate-  
faciendum Ephesiis omne consilium DEI facerent,  
Actor. XX. imitatione exprimunt. Etenim, si peni-  
tiùs excutiatur, & hic fidei Christianæ articulus tùm  
*διδακλικός*, tùm *ὑδακλικός*, tùm *ὑδραγωγικός*, tùm *ἐλεγκ-  
τικός* affatim deprehendetur. *Διδακλικός*, quia non tan-  
tum immensam misericordiæ abyssum pandit; sed e-  
mergentem hinc quoque beneficiorum variorum am-  
plitudinem ob oculorum contuitum clarissimè ponit.  
*ὑδακλικός*, quia firmiter multò solidatam Salutis no-  
stræ certitudinem ostendit, quam quæ vel ullâ hosti-  
um vi everti, vel adversitatum ullis lictibus fulmini-  
busq; dubitationis unquam aleæ subjici debeat. *ὑδρα-  
γωγικός*, quia & perpetuo summæ gratitudinis debito,  
erga DEUM, tanti beneficii autorem, & caritatis in-  
fucatae, ergà proximum, ejusdem gratiæ consortem,  
nos obstringit; adeoq; ad decurrendum inoffenso  
pede pietatis & honestatis stadium studiumq;, calcar  
efficacissimum addit. *ἐλεγκτικός*, quia horrenda deli-  
ria Hæreticorum tùm veterum, tùm recentiorum,  
A 2 peccan-

peccantium partim ἐν ὑπεροχῇ, partim ἐν ἐλλείψει, dilucidé detegit, & fugere supra pestem jubet. Atque horum causam cum *Wendelinus* quoque strenuè agat, minimè periturum operæ pretium existimavimus, si ea, quæ *Exerc. VIII. pro absoluto Predestinationis decreto*, in medium affert, ad Verbi Divini bilancem appenderimus, non curiosè tamen singulis inhæsurî, in tam proluxa Disfertatione, quæ eandem cramben ad nauseam usque aliquoties recoquit, & ἀλόγεια plurima inspergit, verborum apicibus, sed satis habituri nervum ipsum tetigisse. Antequam v. ulterius provehamur, Gratirosam Spiritûs S. Assistentiam submissè imploramus.

### THESIS I.

**Q**UAMVIS de æternâ Prædestinatione Apostolorum Corypheus exclamet Rom. XI, 33. Ὁ βλάθῃ πλάττει, καὶ σοφίας, ἢ γνώσεως θεῶν, ὡς ἀνεξερεδύνητα τὰ κριματά αὐτῶν, ἢ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτῶν. Quis enim cognovit sensum DOMINI? aut quis Consiliarius ejus fuit? aut quis dedit illi, & retribuetur illi? Attamen, ne quisquam sibi actum illum mentis & voluntatis Divina vagum & indeterminatum, vel ex absoluto quodam beneplacito profectum, vanâ cogitatione fingeret, qui deliberato consilio, certâq; mediocrum τάξει limitatur, singulas istius causas explicat Ephes. I, 3. 4. 5. 6. tam planè plenèq; ut frustra sit, quicumque alibi articuli hujus sedem questiverit. Εὐλογητὸς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τῶν κυρίων ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ εὐλόγησας ἡμᾶς ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ ἐν τοῖς ἔπαραινοῖς ἐν Χριστῷ. Καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου, εἶναι ἡμᾶς ἁγίους ἢ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ. Προορίσας ἡμᾶς εἰς υἰοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτὸν, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματός αὐτοῦ, εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτός αὐτοῦ, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἡραπημένῳ. &c.

II. Cau-

**II. Causam videlicet Efficientem Principalem lar-**  
**gitur DEUS Pater, cui Epitheton εὐλογητοῦ attribuit, Formu-**  
**lâ DEUM celebrandi non in veteri tantum Testamento, sed et-**  
**iamnum Judæis frequentissimâ, in tantum verò ab Apostolis mu-**  
**tatâ, ut, cum olim Benedictio in DEUM dirigeretur, sub titulo**  
**DEI Israël, in hujus locum ipsi substituerint nomen Patris**  
**DOMINI nostri JESU CHRISTI, testatum effecturi,**  
**& CHRISTUM crucifixum, quem predicabant, verum veri**  
**DEI filium existere, promissum pridem votisq; conceptis expeti-**  
**tum Messiam; Et verum illum DEUM, qui quondam πολυ-**  
**μερῶς καὶ πολυτρόπως Patres per Prophetas allocutus fuit, postre-**  
**nam voluntatis suæ significationem edidisse per Filium, Heb. I.**  
**v. 1. Quod tamen non eò trahendum, ut Filius, in quantum**  
**Patri est ὁμοούσιος, aut SPIRITUS S. participatione hujus a-**  
**ctûs excludatur; cum opera Trinitatis ad Extra sint indivisa:**  
**Sed ut constet modò de ordine Personarum, & proprietate Pa-**  
**tris, cui opus hoc, tanquam fonti Deitatis, κατ' ἐξοχήν compe-**  
**rit. Etsi tres Deitatis Personas causas Electionis Socias, cum**  
**Goclenio, Piscatore, Bucano, & Keckermanno, nun-**  
**cupare, & æquè tres statuere Electores, ac tres Creatores,**  
**Catholicâ fide, ob identitatem numericam Divinæ Essentiæ, in-**  
**dèq; promanantium Essentialium operationum, prohibeamur.**

**III. Causam προηγουμένην, analogicè sic dictam, addit**  
**εὐδοκία DEI merè gratuita, quæ uti operum nostrorum merita**  
**universo salutis negotio, sic etiam Prædestinationis decreto peni-**  
**tus excludit Rom. XI, 6. Si gratiâ, jam non ex operibus;**  
**alioquin gratia non esset gratia: Si autem ex operibus,**  
**non amplius est gratia, aliàs opus non foret opus.**  
**Quamobrem & Electi perhibemur πρὸ καθολικῆς τοῦ κόσμου.**  
**Sicuti Rom. IX, 11. & 12. Exemplo Typico Jacobi & Esavi,**  
**mysterium hoc ita declaratur, ut non abs re adjiciatur: cum**  
**nati nondum fuissent, aut aliquid boni egissent, vel**

mali, dictum est: major serviet minori. Qui enim alicui laboris debitam mercedem decernit, illum respicit laborem, quo jam defunctus est.

IV. *Καὶ τὸ ἀποκαταστατικὸν* CHRISTUS est Θεωδότης πρὸς Θεόν, ratione officii Mediatorii, ideo totius SS. Trinitatis Consilio Θεογενωσμένου Θεοῦ, ut actione & passione Θεωδότην iram DEI placaret, DEUMQUE nobis reconciliaret. Proinde, quam primum DEUS de salvandis hominibus cogitationem suscepit, constituit simul mittere CHRISTUM Redemptorem, acqvisiturum omnes omne genus benedictiones spirituales, plenam manu per ipsum pariter distribuendas. Harum igitur ambitu cum Electio quoque comprehendatur, nec minus ipsa in meritoria CHRISTI satisfactione, seu merito satisfactorio, fundabitur, quoniam aliud donum bonumque spirituale.

V. *Καὶ τὸ ἀναλογικόν* causam Materialem, itidem κατ' ἀναλογίαν, praebent homines, itaque non sancti & integri, (tales enim Mediatore nullo indigent) sed per peccatum miserè corrupti, attamen Θεοηλπιότας verbi 13. sc. ratione divini intuitus, sive quos credituros in CHRISTUM DEUS previdit & praescivit Roman. VIII, 29. & quidem perseveranter Matth. XXIV, 13. Nam spes quandoque pro fide poni pluscula sunt, quae ostendunt loca Psalm. XXVII, 14. XXXI, 10. XXXIX, 8. XLII, 7. XLIII, 6. LXXVIII, 7. CXIX, 49. Matth. XII, 22. Ex Esa. XLII, 4. Rom. XV, 12. Ex Esa. XI, 10. I. Timoth. IV, 10. Hebr. VI, 11. I. Pet. III, 15.

VI. Formalis ratio Praedestinationis sita est in ἡμετέροις. Φύσιν enim Filii ira, mancipia peccati, promerita iratae divinae, & rejectionem à facie DEI. Praedestinatione sua DEUS, qui dives est misericordia, propter magnam caritatem suam, quam dilexit nos, in gratiam nos recepit, imò in filios adoptavit, propter Filium unigenitum, & συγκληρονομήσας vitam aeternam constituit. Eph. II, 4. 5. Rom. VIII, 17.

VII.

VII. Finis exprimitur duplex, alter Intermedius, alter Ultimus. Intermedius est Sanctimonia vitæ; Ultimus, laus gloriosæ gratiæ divinæ. Ut enim à DEO capit, sic etiam in eodem terminari, & desinere debet Electio.

VIII. Hujus itaque talem elicimus ex hoc ipso Oraculo descriptionem: Electio, seu Prædestinatio, est actio DEI, quâ, ante jacta mundi fundamenta, secundum beneplacitum voluntatis suæ, credentes (perseveranter) in filios adoptavit, atque per CHRISTUM ab impio mundo sejunxit, ut sint sancti & inculpati, in laudem gloriosæ gratiæ suæ.

IX. Syllogismum verò adversus absolutum Calvinistarum decretum, istum necimus:

Q. elegit in CHRISTO spe s. fide firmâ ipsi adhæsuros, ejus Electio non facta est ex absoluto aliquo beneplacito, citra omnem meriti CHRISTI, fidei quæ nostræ intuitum.

DEUS elegit in CHRISTO spe s. fide firmâ ipsi adhæsuros, &c.

E. Electio DEI non facta est ex absoluto beneplacito, citra omnem meriti CHRISTI, fidei quæ nostræ intuitum.

X. Atque hæc omnia adeò manifesta sunt, ut nullâ luce alienâ indigeant. Agnoscunt etiam, κατὰ τὴν ἑξῆς λόγον, vim ac evidentiam veritatis, atque nobiscum sat sobriè interdum loquuntur inter Calvinianos nonnulli, ut meritum CHRISTI fundamenti loco Electioni substernere, & absolutum Prædestinationis decretum, ipsius Calvinii judicio horrible lib. 3. Institut. cap. 23. §. 7. (quod nempe Loco de Providentia & Prædestinatione hæc exponit verborum serie: Non pari conditione creantur omnes, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur: Itaque prout in al-

terutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatus est. *Conf.* Collocutor. Mompelgard. pag. 508. Respons. Bezæ altera pag. 160. Beza in Gloss. Novi Test. Rom. 9. Zanchius in Miscell. de Libro Vitæ pag. 227. *Improbare videantur.* Polanum *puto* in Syntagm. lib. 4. pag. 248. Piscatorem in Judicio Extrem. pag. 63. *Cum primis* Sohnum Tom. I. pag. 258. *ita scribentem:* DEUS non simpliciter homines creatos aut corruptos ad vitam elegit, sed homines vocatos & fideles, quos præscivit: *nec non* Arctium part. 2. Problem. pag. 336. Nec est sic in libertatem DEUS asferendus, ut illi nihil sit cum justo, Bono, æquitate commune, & illa nobis solum præcipiat, ipse pro imperio, quicquid libet & licet, agat. Est n. ipsa bonitas, ipsa justitia & æquitas, ideoq; ab his virtutibus non debemus imperium illius & voluntatem ABSOLVERE. Hæc ad priorem sententiam attulisse, satis esto, quibus opinor satis evinci potest Non ABSOLUTA VOLUNTATE, & merâ imperii potestate, sed cum imperio & voluntate optimâ simul & justissimâ ratione hos eligi, illos v. prætermitti: *Ut &* Theolog. Leidens. Disp. XXIV. th. 29. CHRISTUS est fundamentum & executor sicuti Electionis, ita omnium beneficiorum, quæ per Electionem conferuntur; *Ut sine scrupulo hæc acciperentur, si non ab illis, quorum sensus notus est, dicerentur, quemadmodum* B. Augustinus de Pelagianis *inquit.*

XI. *Ἀξιωματικῶς τῶν, quid Arminio acciderit, cum in propugnandâ communi Calvinianorum Sententiâ, de Absoluto illo Prædestinationis decreto, se quam maxime occupasset. Ibi n. & occasio illi emerfit errores Sociennorum, præter omnem expectationem, clarissime perspicendi, & ὀργανιστῶν ab ipsorum castris, hæc*

*hac in parte secessionem faciendi. Recenset ab Ovo rem totam* Petrus Bertius *in* Orat. de vita & obitu D. Jacob. Arminii *Disp. ejusdem præfixa.* Circum ferebatur, inquit, quorundam piorum manibus libellus, à quibusdam fratribus in Ecclesia Delphensi scriptus adversus Bezam, hoc titulo: Responsio ad argumenta quædam Bezæ & Calvinii, ex Tractatu de Prædestinatione in caput 9. ad Rom. Eum libellum D. Martinus Lydius, qui antea Pastorem egerat in Ecclesia Amsterdamsi, tunc verò Professore agebat in nova Frisiorum Academia, transmiserat ad D. Arminium, rogaveratque ut adversus Delphenses patrocinium suscipere Bezæ. Non erat omninò ab hoc instituto Arminius alienus: Recens enim ex Scholâ Genevensi auribus circumferebat sonum lectionum & argumentorum Bezæ. Accingit ergò sese operi, sed dum molitur refutationem, dum argumenta utrinque expendit, dum confert Scripturas, dum se torquet ac fatigat, vero Victus primùm secutus est sententiam illam ipsam quam oppugnabat, postea in eam divinâ virgula & Spiritus S. ductu delatus est, quam ad finem usque vitæ constanter adseruit, decretum sc. DEI æternum in prædestinatione non esse, Eligere præcisè & absolutè ad salutem quosdam, quos nondum decrevisset creare, quod voluit Beza, neque vero posito decreto creationis, & prævisso lapsu, quosdam, citra antecedentem rationem JESU CHRISTI, quod volebant Delphenses, sed ex creatis & lapsis eos, qui vocanti DEO verâ obedientiâ fidei responsuri essent, quod à Melanctone, & Hemmingo, & aliis permultis asseritum est.

XII. *Etsi non sit, quod magnopere vel Arminio, vel Scriptoribus ejusdē Grevinchovio, Arnoldo, Episcopio &c.*

B

bo e

hoc nomine gratulemur, nondum videlicet Orthodoxiam nostram  
amplexis, sed ab uno extremo temerè prolapsis ad alterum, con-  
sentientes quidem sensus nobiscum alentibus, quà Sententia Cal-  
viniane negationem, non autem quà sua assercionem, sed hujus  
respectu propius longè accedentibus ad Pontificios. Eidem e-  
nim quam ad Electionem requirunt, non spectari volunt  $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{\iota}\sigma\varsigma$ ,  
sub ratione Organi, quo meritum CHRISTI nobis applice-  
mus & appropriemus, sed  $\alpha\pi\lambda\omicron\varsigma$ , ut actum, cuius animam collo-  
cant in obedientiâ, seu observatione mandatorum divinorum, cum  
Photinianis Vid. Vorstius Catal. Errorum Sibrandi p.  
62. Velsing. de officio hominis Christiani fol. B. 6. 7.  
Remonstrantes in Confessione cap. II. Perinde ac in  
Justificatione, Materiam imputationis faciunt non iustitiam Chri-  
sti, sed fidem, sub ratione actus, vel operis, quasi DEUS fidem su-  
pra activitatem Instrumentalem evederet, ei que, per singularem  
eminentiam & benevolentiam, superadderet dignitatem aliquam &  
valorem, impetrandi beneficium absolutionis, justificationis & san-  
ctificationis: Christus v. suo merito id obtinuerit, ut per gratiosam  
estimationem, ad salutem nobis imputetur iustitia inherens. Armi-  
nius in Epist. ad Hippol. p. 2. & declaratione p. 65. seqq.  
Vorst Catal. Errorum Sibrandi p. 41. 46. 50. 54. Bertius  
in Epist. ad Sibrandum pag. 45. 70. 74. 87. Joh. Arnol-  
dus contra Gomarum p. 35. Episcopus Disputat. pri-  
vatâ. Thes. 4.

XIII. Wendelinus Exerc. 8. turpi contradictione  
causam morbidam prodit, dum jam meritum CHRISTI decreto  
Electionis includit, jam vero CHRISTUM causam Electionis  
impulsivam & meritoriam esse negat. Ingreditur, inquit,  
§. 2. Decretum Electionis, Consideratio meriti Chri-  
sti. Quis negat? Nemini ab æterno DEUS decrevit  
vitam æternam conferre, nisi per media illa ipsa, (in-  
ter quæ princeps est CHRISTI meritum) per quæ  
com.



fert in tempore, ita, ut non minus sit ordo mediorum  
ad finem & mediorum inter se in æterna DEI confi-  
deratione, quam in temporali executione: neque enim  
unquam de vitâ æternâ nobis conferenda cogitavit  
DEUS, quin simul cogitarit de omnibus conferendis  
ejus causis mediis. Undè malitiosè nobis affingitur  
Electio æterna ad vitam, sine respectu ad CHRISTI  
meritum, tanquam Causam vitæ meritoriam, neque ta-  
men inde sequitur, CHRISTI meritum æquè Causam  
esse decreti divini, atque est causa vitæ, adeòque so-  
lam DEI *εὐδοκίαν* non esse causam Electionis; multò  
minus quovis respectu absolutam esse hanc *εὐδοκίαν*.  
*Sic Exerc. IX. §. 16. scribit; Christum non esse causam E-*  
*lectionis, sed tantum, pertinere ad media executionis.*  
*Et Exerc. XI. §. 16. Concurrit CHRISTI meritum*  
*ad Electionem, ut Effectus Electionis, & ut Causa*  
*media salutis decretæ, per Electionem ordinata & de-*  
*stinata ad hunc effectum; Nec capere possumus substituta-*  
*tem alteram Wendelini proxime precedentem §. 15. DEUS*  
*vult hominis salutem propter CHRISTI meritum fi-*  
*de apprehensum, sed non propter meritum CHRISTI*  
*fide apprehensum vult hominis salutem. En Mysterium*  
*Calvinisticum ὁπερ ὄντι, ὁπερ πάντα λόγον ἔπαισεν κατὰ λέξιν*  
*Lutheranæ πίστεως! Argumentamur v. Quidquid tantum per-*  
*tinet ad media, per quæ Deus Electionem exequitur, id*  
*non ingreditur Electionem ipsam. CHRISTUS (juxta*  
*Wendel.) tantum pertinet ad media, per quæ DEUS*  
*electionem exequitur. E. Christus (juxta Wendelin.)*  
*non ingreditur Electionem ipsam. Et per consequ. Wen-*  
*delinus quantum in ipso est, Electionis decreto CHRISTU M*  
*prorsus excludit. Minor è citatis liquet. Major probatur,*  
*quia media exequendi Electionem æquè sunt Consequentia Ele-*

tionis, posita extra Electionē, & Electione ordine posteriora, ac executio ipsa. Unde Calviniani opinantur, Deum prius absoluto decreto quosdam ad vitam aeternā elegisse, ac postea demum constituisse, mittere Filium Salvatorem: Inverso planē ac perverso decretorum, atque actionum divinarum ordine, in Scalā Prædestinationis, ut quidam, quos Supralapsarios vocant, gradum Primum decretorum assignent proposito, de manifestanda gloria in hominibus, Secundum absoluto decreto, de quibusdā glorificandis, Tertium glorificandorum speciali præscientiæ, Quartum præscitorum dilectioni, Quintum dilectorum electioni, Sextum electorum prædestinationi; Medium vero Executionis Primum fingant Prædestinatorum Creationem, Secundum Creatorum corruptionem, Tertiam corruptorum Redemptionem Quartum Redemptorum vocationem, Quintum Vocatorum fidem, Sextum Fidelium justificationem, Septimum justificatorum Conservationem, Octavum Conservatorum Glorificationem, Postremum tandem ex hac glorificatione ortam gloriæ divinæ manifestationem: quo illud, quod ultimum est in executione, primum sit in intentione. Vid. Zanchius lib. 5. cap. 2. quæst. 1. Rennecherus in aurea (καὶ ἀντιφρασι) salutis catenā p. 37. & 126. 140. Polanus in Didascalia. Sturmius in Diatribe de Prædestinatione th. 6 7. 8 Beza in Tractat. de Prædest. hunc dependentiæ ordinem in Tabellā delineat:

DEI Summè misericordis & summè justis immutabilis

μεσοεπιμύς

De Eligendis | De Reprobandis.

Creatio in statu recto.

Corruptio Spontanea, &c.

Vocatio Efficax.

Fides.

Fidei Effecta.

Vita aeterna.

Derelictio.

Induratio.

Indurationis Effecta.

Mors aeterna.

115

*Et si Infralapsarii s. Calviniani subtiliores, in sententia di-  
vortium eousq; abeant, ut predestinationē lapsui postponant, adeoq;  
Obiectum Electionis & Reprobationis statuunt humanum Genus,  
consideratum ut in Adamo lapsum, & damnationi obnoxium.*

XIV. *Quæ Wendel. subjicit: Nullum heic aliam  
agnoscimus Causam, nisi solam DEI évdoxiav, quæ, si  
pro captu nostro loquamur, superior est decreto, & o-  
mnibus quæ decretum ingrediuntur, manente nihilo-  
minus ordine, qui est inter media & finem, qui alius est  
in intentione, alius in executione: in illa prior finis,  
posteriora media: in hac posterior finis, priora me-  
dia. Intendit igitur DEUS, quoad ordinem Obje-  
ctorum, primò finem i.e. vitam, deinde medium ad fi-  
nem, h.e. CHRISTI meritum, utrumque per évdoxiav  
suam, quæ superiorem intentionis causam non agno-  
scit, &c. Hanc induunt formam Syllogisticam:*

*Q. meritum CHRISTI respicit tanquam finis me-  
dium, id DEUS in prædestinatione prius in-  
tendit, quam meritum CHRISTI.*

*Atqui Vita æterna, meritum CHRISTI respicit  
tanquam finis medium. E. DEUS in Prædest. vitam æ-  
ternam prius intendit, quam meritum CHRISTI.  
Respondeat pro nobis Esai. c. LV, 8. Imò JEHOVA ipse: Non  
sunt cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neq; viæ  
vestræ, viæ meæ. Et Apostolus Rom. XI. οὐδὲ τίς πλά-  
τῃς, quis Consiliarius ejus fuit? nec non cap. X, 6. Ne dixeris  
in corde tuo, quis ascendet in cœlum? i.e. CHRISTUM  
deducere, aut quis descendet in abyssum? i.e. CHRI-  
STUM à morte revocare, sed quid dicit? Prope est ver-  
bum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei  
quod prædicamus. Certos olim terminos Numen ponere  
jussit, quibus populus propiori aditu montis Sinai prohiberetur*

B 3

Exod.

Exod. XIX. 23. gravemque poenam sancivit, si vel ab homine  
quopiam, vel bruto vis inferretur interdicto. Eundem in mo-  
dum cautè cavendum, ne speculationibus nostris de mysteriis fidei  
plus justo indulgeamus, sed illis nos limitibus contineamus, quos  
revelatum DEI verbum monstrat, rationem v. obloquentem, &  
suis è principiis diversum quid conclusuram, in obsequium fidei  
captivemus, è prescripto divino II. Cor. X, 5. Vix impunitatem au-  
ferret, si Regionum vel Ducalium Archivorum perscrutari arcana,  
nullo Supremi Magistratus jussu, quis auderet. Et divinam  
permisuram Majestatem opinabimur, quin ejusdem scrutator  
opprimatur à gloriâ? Proverb. XXV, 27. Belle Cyprianus  
in Exposit. Symb. Apost. Non deceat Servum, ut se-  
creta DOMINI sui scrutetur. Ingenti discrimine distant  
actiones divinae ab humanis. Cum his quidem ita comparatum  
novimus, ut primò certus praefigatur finis, deinde nos sollicitos te-  
neant media hinc perducuntia, juxta effatum Aristot. lib. 7.  
Polit. cap. 13. Δύο εἰσιν, ἐν οἷς γίνονται τὰ ἐν πᾶσι. Ἐν μὲν ἐν  
τῷ, τὸν σκοπὸν κείων καὶ τὸ τέλος. τῶν πράξεων ὁρθῶς, ἐν δὲ ἐν  
τῷ πρὸς τὸ τέλος. Ορθῶς πράξεις εὐρίσκων. Eundem vero  
ordinem in supremum illud Hemisphaerium actionum divinarum,  
sine Scripturae suffragio, introducere minimè gentium licet. Exu-  
lat enim à DEO illius Causa, finita & dubia tum notitia finis,  
tum potentia eum assequendi. Ab homine is maxime finis  
intenditur & in votis habetur, qui & convenientissimus videtur,  
& assecutione facilissimus. Hinc etiam prævia deliberatione, &  
munità meiorum collatione, ea amplectimur, quae potissimum  
scopo alicui obtinendo idonea putamus. Absit autem hujusmodi  
curam & sollicitudinem concipiamus de DEO, cujus praesentiam  
nobis effugere, potentiamque absolutam, quotiescunque hanc ipsi  
exerere libet, nil impaire potest Esai. XIV, 24. Juravit DO-  
MINUS Exercituum, dicens: Si non ut putavi, ita e-  
rit, & quomodo mente tractavi, sic eveniet. Adhuc ne-  
quaquam committenda sunt, ullis ut philosophematibus, quamcun-  
que

que probabilitatis speciem praese ferant, de concatenata serie acti-  
onum humanarum, labefacterur ullo modo divina justitia, aequè  
immensa atque misericordia, ut neminem ad vitam aeternam or-  
dinare misericordia divina potuerit, ante praevisionem sufficien-  
tissime satisfactionis, justitiae DEI prestanda, quam unice CHRI-  
STO debemus, nec aliter nostram facimus, quam per fidem. O-  
ptimè igitur ordo graduum, actionumq; divinarum in aeterno Ele-  
ctionis decreto, addiscitur à posteriori, executione ipsa: rectissi-  
meque creditur, eo ordine DEUM decrevisse ab aeterno salvare,  
quo hodie actu salvat. Ut enim Essentia, sic quoque Sententia  
DEI immutabilis Mal. III, 6. Prius autem DEUS actu vocat,  
convertit, justificat, sanctificat, quam glorificat: E. Et prius decre-  
vit vocare, convertere, justificare, sanctificare, quam salvare s. glo-  
rificare. Sicut aliàs cum audimus, quid ad executionem hujus  
vel illius propositi aliquem impulerit, e. g. Cur actu quis alterum  
vel premia affecerit, vel supplicio, supervacaneum judicamus pe-  
culiare quandam & distinctam Causam propositi scrutari; Pro  
comperto & indubitato tenentes, id ipsum, propter quod aliquis  
alterum premio exhilaravit, causam quoque extitisse, per quam  
motus fuit & adductus, ut voluerit, vel decreverit illud premium.  
Cum enim Causalitas Cause impulsivae in motione voluntatis con-  
sistat, fieri nequit, ut aliquid externi actus causa impulsiva sit,  
quin simul volitionem ipsam causeatur. Nec obstat, quod  
Wendelin occinit in Tract. de Praedest. cap. XVII, pag.  
100. Differre Electionem à Salvatione, tanquam acti-  
onem DEI aeternam, internam, & à DEO immediatè  
profectam, ab actione externa, temporali & mediata.  
Etenim eadem ferè diversitas in actibus humanis, inter decre-  
tum & executionem occurrit, citra omnem Harmonia suavissima  
jacluram. Si Rex vincenti strenuo bellatori, ob victoriam, prae-  
mium decernat, ac postea etiam conferat, etsi decretum de confe-  
rendo premio, actio sit interna, & à seorsus è voluntate elicitata: Exe-  
cutio

cutio autem externa & mediata, qua multis aliis causis interve-  
nientibus perficitur; Causa tamen Impulsiva manet eadem, vi-  
ctoria.

XV. Cum Wendelin. pergit §. 3. Nos etsi solam  
*eu-doxia* tanquam causam impulsivam Electionis am-  
plectimur, tamen non absolutam à respectu ad meri-  
tum CHRISTI intelligimus, ut jam ante ostendimus.  
Admittimus etiam *eu-doxia* in CHRISTI merito fun-  
datam, si CHRISTI meritum ab *eu-doxia* ordinatum ad  
vitam, tanquam Causa ejus meritoria intelligatur: Sin  
tanquam Causa impulsiva ipsius *eu-doxias*, non assenti-  
mur: quia ordine prior est *eu-doxia* meriti considerati-  
one, quod ex *eu-doxia* fluit, neque aliud probant allega-  
gata loca, & ad Ephesios quidem CHRISTI meri-  
tu n ex benevolo Patris affectu deducitur, &c. *Syllo-  
gismus talis emergit:*

Q. à benevolo voluntatis affectu deducitur, in  
eo, tanquam Causa impulsivâ, Electionis *eu-  
doxia* non fundatur.

Meritum CHRISTI à benevolo voluntatis affe-  
ctu deducitur.

E. in Chr. mer. tanq. Caus. impuls. Elect. *eu-doxia*  
non fundatur. *Resp. per Distinctionem inter benevolentiam  
DEI generalem, ad omnes omnino homines se extendentem,  
& Specialem, propriam Electorum. De illâ si intelligatur  
Major, largimur totum. Atque hinc digitum intendunt, que ab  
Adversario citantur Oracula Joh. I, 16. Sic DEUS dilexit  
mundum, ut filium suum unigenitum daret &c. Rom.  
V, 8. Commendat suam charitatem erga nos DEUS,  
quod, cum adhuc essemus Peccatores, CHRISTUS  
pro nobis mortuus sit: Unâ cum August. dicto: Quod  
reconciliati sumus DEO per mortem CHRISTI, non  
sic*

sic audiatur, non sic accipiatur, quasi ideò nos ei reconciliaverit Filius, ut iam amare inceperit, quos oderat. Sed jam nos DEO diligenti reconciliati sumus, cum propter peccatum inimicitias habeamus: Suffragantibus non Mylio tantum, Huttero & Balduino, quorum verba adversarius ibid. allegat, sed Lutheranis ad unum omnibus. Secus v. censendum de benevolentia DEI s. dilectione speciali, restricta ad solos Electos, quos DEUS ἐχαρίτωσεν ἐν τῷ ἡγαπημένῳ Eph. I, 6. Et annon suo se gladio Wendelin. jugulat, allegando ea pro se verba B. Hutteri & Balduini, quae disertè decretum mittendi filium à voluntate ANTECEDENTE & dilectione Universalis omnium hominum derivant: Cum Calviniani missionem Redemptoris illi charitati acceptam referant, quae DEUS erga minimam hominum partem, solum sc. coetum Electorum, propendet. Sic enim Balduinus in Diss. Inaugur. Sub praesidio Hutteri habita Anno 1605. thes. 26. VOLUNTAS DEI ANTECEDENS est misericors illa Φιλανθρωπία, quae DEUS tristissimum humani generis lapsum praevidens, nullo nostro motus merito, sed ex solâ gratiâ, jam inde ab omni aeternitate serio voluit & decrevit OMNIUM OMNINÒ HOMINUM misereri, OMNES aequaliter diligere, OMNES per Filium redimere, & OMNES per fidem in Filium salvare, &c. Etsi enim Volitio DEI, κατ' αὐτὸν, unus sit, isq; simplicissimus actus, nil tamen prohibet, quin à nobis in eodem, pro varietate objectorum, certi quidam & distincti gradus concipiantur, & talis inter istos ordo constituatur, qualis objectis intercedit, ut καθ' ἡμᾶς, prius, vel posterius, dicatur Decretum, cujus Objectum in intentione agentis prius, vel posterius est. Quomodo secundum nostrum concipiendi modum, in decreto Electionis, quoad objecta, hunc ordinem Scriptura ostendit, quod DEUS prius viderit meritum CHRISTI fide apprehendendum, quam nos ad vitam

C

tam

tam eternam prædestinaverit Rom. VIII. 29. Perinde ac in Executione, vitâ eternâ donamur, propter meritum CHRISTI fide apprehensum.

XVI. Nullius autem momenti Exceptio Wendelini est pag. 106. Differre propter CHRISTUM, & in CHRISTO electum esse: Posteriorem admitti λέξις, quia Scriptura sit. priorem non admitti, quia Scripturæ non sit. Cui cum opposuisset B. Gerhardus Testimonium Ravensberg. per CHRISTUM, & propter CHRISTUM, decrevisse DEUM salutem dare omnibus fidelibus; Wendelinus regerit: Eadem si Ravensbergeri est sententia, quæ vestra, de quo tamen Ego valdè dubito, autoritas illius, loquendi & credendi leges mihi nullas figit. At nec solus Ravensbergerus hoc asserit, nec ἀπεργαφῆς. Militant pro illo ἔ nobis, adeoq; æquipollentiam particula ἐν ἔ διὰ, seu per, vel propter, Scriptura S. non infrequentem, per Hebraismum, evincunt dicta luculentissima Gen. XXIX, 18. Serviam Tibi לְרַחֵם i.e. propter Rachel. Deut. XXIV, 16. Unusquisq; לְפָנָיו in peccatis suis, hoc est, propter peccata sua morietur. Matt. XVII, 21. Hoc genus non ejicitur nisi ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ, hoc est, per jejunium. Luc. XXII, 20. Hic Calix Novum Testamentum, ἐν τῷ αἵματι μου, b. e. per sanguinem meum. Act. VII, 29. Fugit a. Moyses ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ i.e. propter verbum hoc. & cap. XVII, 28. ἐν αὐτῷ per ipsum vivimus, movemur & sumus. Eph. III, 12. ἐν ᾧ b. e. per quem (CHRISTUM) habemus fiduciam ἔ accessum in confidentiâ. Phil. IV. 13. Omnia possum ἐν τῷ ἐνδυναμῶντι, per corroborantem me CHRISTUM. Coincidere v. etiam Eph. I, 4. ubi de Electione sermo. est, duas istas particulas, docet immediate subjectus vers. 5. Qui prædestinavit nos in Filiorum adoptionem, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ per



per JESUM CHRISTUM &c. Deinde concludimus e  
*contextu (1).* Q. modo in CHRISTO benedicimur,  
 eo etiam in CHRISTO eligimur *juxta vers. 3. & 4.* Be-  
 nedictus Pater DOMINI nostri JESU CHRISTI,  
 qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in  
 coelestibus, in CHRISTO, sicut elegit nos in Chri-  
 sto ante constitutionem mundi, &c. At in CHRISTO  
 ita benedicimur, ut benedicti simus per & propter  
 CHRISTUM. E. in CHRISTO sic etiam eligi-  
 mur, ut electi simus per & propter CHRISTUM. (2.)  
 Quocunq; modo in CHRISTO habemus redempti-  
 onem & remissionem peccatorum, eo in CHRISTO  
 sumus electi. Atqui in CHRISTO ita habemus re-  
 missionem peccatorum, ut per & propter CHRI-  
 STUM ea nobis acquisita sit. E. Sic etiam in Chri-  
 sto sumus electi, ut per & per propt. CHRIST. Elect.  
 nobis acquisita fuerit. *Minor est in Confesso.* Majo-  
 rem *confirmat collatio vers. 7.* In quo habemus redemptio-  
 nem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum,  
 & II. *vers.* In quo etiam sumus prædestinati, secundum  
 propositum ejus qui omnia operatur.

XVII. *De cetero Wendelin. omnem movet lapidem,*  
*ut 7. illa argumenta, quæ contra prævisionem fidei, in Theolo-*  
*gia suâ opposuit, & B. Gerhard. in Colleg. Anti-Wen-*  
*delin. solidissime confutavit, vindicet ac defendat. Primum*  
*est: Quod nihil boni spiritualis in homine peccatore*  
 DEUS præviderit, nisi quod ex gratiâ daturus ipsi e-  
 rat §. 10. *Syllogismus erit talis:*

N. donum DEI spirituale & gratuitum, DEUS in  
 Electis prævidit. Fides est donum DEI  
 spirituale & gratuitum. E.

*Resp. per limit. predic. Maj. N. don. DEI spir. & grat. DEUS præ-*  
*vidit,*

vidit, sc. tanquam causam impulsivam & meritoriam: Sic concedimus totum. Sicuti B. Gerhardus fatetur: nihil DEUM in nobis prævidisse, quod eum ad eligendum nos movere potuerit; pergit tamen verissimè: hoc non obstante, prævidit DEUS fidem in CHRISTUM, quam ipse solus ex gratiâ erat daturus, si fides nempe spectetur ut necessaria conditio objecti electionis, utpote quod præbet unicè homo perseverenter crediturus.

XVIII. Frustrâ v. collidere VVendelin. satagit, eum B. Gerharo Hunnium & Mylium pariter παραείρη, Hunnii vox est in refutat. Staffortensi p. 711. Die Erwehlung zum ewigen Leben steht nicht im blossen Willen Gottes / sondern ( simul ) im Willen des Menschen. Ast præter voluntatem DEI etiam voluntatem hominis ad Electionem requiri, quoad divinum intuitum, ubi Gerhard. negat? Neminem enim DEUS elegit, nisi qui se tandem fieri ex nolente volentem, per Spiritus S. gratiam, sinit. Verum hinc non statim sequitur, voluntatem hominis æquè causam esse Electionis, ac voluntatem DEI, cum constet, longè latius patere requisitum, quam Causam. Nec negat Gerhard. paucitatem electorum pendere à voluntate hominis, reluctantis videlicet & oblatâ gratiam repudiantis. Ne-fas autem à causa reprobationis argumētari ad causam Electionis, & Electionem non minus statuere dependentem à fide, ac reprobationem à prævisa àmissiōe, nī terminum dependentiæ admodum ampliare velimus, ad designandum mutuū respectum non Cause & Effectus, sed ordinis & ordinati, determinati & determinatiōnis. Invenit sanè DEUS satis in plerisq; hominibus, propter quod æterno exitio deoveantur, pertinacem àmissiōem, rebellionem s. resistantiam voluntatis humanæ. At nihil invenit, quod ad Electionem nostri inducatur. Capacitatem quoq; fidei, non aliam vel Mylius homini tribuit, vel Hunnius, quam merè passivam,

*svam, consentiente iterum B Gerharo, dum nempe Hun-*  
*nus scribit L. à Wend. allegat. Die rechte Haupt-Ursache/*  
*woran es doch hasset/ daß viele beruffen und wenig außers-*  
*wehlet seyn/ gründlich zu erklären/ ist nicht in GOTTES*  
*Willen zu suchen/ sondern allein bey den Menschen selbst/*  
*rationem hanc addente Mylio dann/ wann die Menschen*  
*wollen/ so können sie gläuben/ auch ehe sie gläuben/ können*  
*sie so viel thun/ daß/ wann dasselbe geschehen ist/ ihnen Gott*  
*ohn allen Zweifel den Gläuben gebe: Das ist/ sie können*  
*das Wort ganz willig annehmen/ wie die zu Berrhoë gethan*  
*haben. Remotio adhec obicis & impedimentorum quorun-*  
*dam, sc. remotiorum, qualia sunt plenarius neglectus auditus*  
*verbi divini externi, fama de Ecclesiâ per orbem sparsa, & inqui-*  
*sitionis in ulteriorem veri DEI notitiam, quæ è notitiâ DEI na-*  
*turali exoriri potest; quamvis homini irrogenito ab Hunnio*  
*tribuat in defensione Artic. Misnens. Es kan auch der uns*  
*wiedergebore Mensch das Wort GOTTES mit einer*  
*Lust zu lernen anhören/ und die Dörne und Hindernuß*  
*(pertinacem contemptum verbi divini, de quo verba preceden-*  
*tia loquuntur) auß dem Mittel wegcreumen: Remotio ta-*  
*men impedimentorum proximorum, s. non rejectio oblatorum be-*  
*neficiorum spiritualium, nec Hunnio, nec ulli Lutherano, è viri-*  
*bis hominis naturalis emergit, (naturaliter enim omnis homo*  
*repugnat DEO, regenerationem & illuminationem ejusdem ag-*  
*gredienti. Rom. VIII, 7. Προνημαλῆς σαρκὸς ἐχθρὰ ἐστὶ θεόν 2. Cor.*  
*II, 14. Ψυχὴν δὲ ἀνθρώπου non capit ea, quæ sunt Spiritus*  
*DEI 2. Cor. III, 5. Non sumus inavoi à nobis ipsis co-*  
*gitare aliquid boni.) Sed ut omnis nostra inavoi, in spiritu-*  
*alibus, DEUM auctorem agnoscat: Sic ipsa quoq; primâ s. prave-*  
*niente gratiâ introducit. Phil. I, 6. Qui incepit opus*  
*bonum, perficiet, usq; in diem JESU CHRISTI. &*  
*c. II, 13. DEUS est qui operatur & velle, & perficere.*

Ut falsissimè VVendelinus è sententiâ nostratum inferat :  
hominem, si faciat, quæ facere **PER NATURAM** po-  
test, fidei donum consequi, *in persâ iterum mentione My-  
lii & Hunnii. Audiamus Virum ipsum, optimum sui inter-  
pretem ex Artic. de Provid. & Prædestin. p. 243. in f. octav. Etsi  
conversio ipsa, fides, agnitio veritatis, æterna salus &c. ne mini-  
ma quidem ex parte in nostro sint arbitrio posita, sunt tamen in  
aliquibus nondum conversis hominibus longè plura obstacula,  
quæ fructificationem verbi validius impediunt, quam in aliis :  
quidam etiam ex non renatis sunt propinqui ores regno DEI a-  
liis, non quod his quicquam insit facultatum & virium appli-  
candi se ad gratiam, aut in spiritualibus cooperandi DEO : Sed  
quod in cæteris plura sint & FORTIORA IMPEDIMENTA,  
quæ aditum Spiritui S. præcludunt, quo minus in eis perinde ve-  
lit esse **PER PRÆDICATUM VERBUM** efficax. Idcirco  
Scriptura hortatur homines etiam non conversos, ut obstacula illa  
removeant & viam complanent, h. e. peccata & studia perversa,  
quorum **PLERAQUE** etiam à non renatis cæderi aut abjici pos-  
sunt, deponant. Conf. Disputat. 23. Volum. V Vitte-  
bergæ edit. tb. 185. Neq; hac ratione quicquam in  
conversione tribuimus humanis viribus præter ex-  
ternum cursum & obedientiam, quæ ministerii appel-  
latur, quod homo etiam suis relictus viribus potest  
visitare e conciones, vel non : Habet naturale deside-  
rium salutis, quod mavult sibi benè esse, quam malè  
&c. Tb. 214. Apparet insuper, potuisse numerum Ele-  
ctorum fieri auctiorem, & salvari plures, quam salvan-  
tur : Si sc. vocanti DEO parvisent, i. e. si usi fuissent  
organo salutis, audivissent verbum, eo, quo supra di-  
ctum est, modo. Sic enim Spiritus S. operatus in eis  
fuisset id, quod ipsi **PROPRIIS VIRIBUS** excitare  
in se nunquam potuissent. Tb. 256. In dubitatum est, tò  
posse*

posse credere, *NON ESSE HUMANARUM VIRIUM,*  
sed *DEI* solius opus. Quamvis *Ib. 186.* Potest deni-  
que homo non renatus audire cum quodam etiam co-  
gnoscendi studio, ut Agrippa facit *Act. 26.* Et de He-  
rode legitur, quod Johannem Baptistam *LIBENTER*  
audierit, auditoq; eo multa fecerit &c. *non probetur Ma-*  
*gno Hülsemanno Breviar. Extensi cap. 6. tb. 12.* Si præter de-  
siderium, *inquieti,* commune, sciendi rem divinam,  
accesserit desiderium æternæ salutis, desiderium de-  
ponendi peccandi consuetudinem, ob reverentiam er-  
ga *DEUM* &c. Hæc non naturæ, sed prævenientis  
gratiæ instinctus sunt *Marc. 6.* Ut in Herode, qui re-  
verebatur Joannem Baptistam: & audito eo in mul-  
tis obsecundabat & libenter eum au diebat.

*XIX. Falsissimè porrò V Vendelin. §. 13. & 14. nostra-*  
*tibus doctrinam imputat* Masiliensium, Semi Pelagianor-  
um. Annè ovum ovo similius, Gerharde, quam hæc  
Masiliensium placita, illis Hunnii & Mylii, Anteces-  
sorum & præceptorum tuorum placitis &c. *abs te ex-*  
*clamans.* Pelagiani *Causam tum Electionis, tum reprobatio-*  
*nis, prævisa hominum merita statuebant, contendentes in homi-*  
*nis esse potestate gratiam, qua creditur & benè videtur, vel acci-*  
*pere, vel respucere: Itaq; prout præviderit DEUS homines, vel be-*  
*nè, vel malè, suo libero arbitrio, in gratiâ vel accipiendâ, vel respu-*  
*enda, usus; ita eum vel ad augmentum gratia, vitamq; tan-*  
*dem æternam illos prædestinasse, vel ad subtractionem prioris e-*  
*tiam gratia, & tandem ad mortem reprobasse, referente Au-*  
*gust. de Prædest. Sanctorum cap. 18. Juxta Masilienses,*  
*Semipelagianos, fidei initium è nobis ipsis est, incrementum à*  
*DEO, ideoq; Electio facta juxta præscientiam illius boni motus,*  
*quo nos ad fidem & DEI gratiam acceptandam ex nobis ipsis*  
*applicamus.* Prosper in *Epist. ad August. Tom. 7. o-*  
*pe.*

operum August. Nos ex adverso cum Apostolo Eph. 2. fidem  
donum DEI constanter veneramus, gratiamq; DEI omnibus no-  
stris meritis & actionibus in decreto Electionis opponimus, sive  
per gratiam divinam, sive per vires naturales fiant, aequè ac il-  
las à justificationis negotio removemus: Imò opponimus gratiam  
divinam fidei ipsi, si spectetur tanquam opus, ut qualitas nobis  
inharens contradistincta merito CHRISTI, ut aliquid magis vel  
minus hoc beneficio dignum, sive per se & eminentiam conditio-  
nis suae, sive ex estimatione per voluntatem DEI fidei superaddi-  
ta: adeoq; fidem tantum includimus Electioni, sub intuitu in-  
strumenti ad beneficii applicationem necessarii, non sub intuitu  
boni propositi, aut bonae & laudabilis actionis. Nec aliquid am-  
plius vel B. Lutherus, vel Brentius, vel Schnepsius, vel  
Heshusius, vel Catholicorum alii asserunt. Cum primis mani-  
festior est, quam cui ulla offundi tenebra queant, sententia Lu-  
theri de Servo arbitrio p. 296. Homo antequam reno-  
vetur, in novam creaturam regni Spiritus, nihil cona-  
tur, quo pareatur ad eam renovationem & regnum, Et  
p. 332. Neq; ratione alià quæstionem illam dissolvunt,  
cur DEUS hunc justificet, & illum deserat? Quam sta-  
tuendo Liberum arbitrium, sc. quod hic conatus sit,  
ille non conatus sit, & DEUS hunc PROPTER CO-  
NATUM respiciat, illum v. contemnat, ne sit inju-  
stus, si fecus fecerit. Et quamvis linguâ & calamo  
præferant, sese CONDIGNO MERITO gratiam non  
consequi, nec ipsum appellent MERITUM CONDI-  
GNUM, tamen vocabulo nos ludunt, & rem nihilo-  
minus tenent &c. Ubi ex professo Lutherus disputat con-  
tra Pontificios, & operum nostrorum merita ac efficaciam, ad  
provocandam DEI gratiam; nullo autem apice indigitat, prævi-  
sam fidem, Electionis actum haud ingredi. Eumq; in sensum  
Heshusius in Exam. Theol. Loc. 22. ad quæst: Quæ  
sit cau-

fit causa Electionis prædestinatorum? Resp. Sola DEI misericordia, bonitas & beneplacitum: Nullius enim hominis *OPUS*, vel *MERITUM*, vel obedientiam respexit DEUS, sed tantum in CHRISTO JESU, Filio suo (*in quo non sumus nisi per fidem*) ex merâ gratiâ, ad viam æternam elegit, qui salvantur.

XX. *Stringit etiam Adversarius calamum in Plur. Reverend. & Excellentis. Virum, Dn. D. Philippum Henric. Friedlieb! Theologum Stra'sundensem Celeberrimum, Ingenua heic, inquiens, §. 17. est recentissimi Lutherani, D. Friedlieb Confessio, libr. ejus cap. 9. p. 292, 293. Medium est fides, quo ad electionem pertingimus: & pag. 296. Non parum conferre possunt homines ad electionem, si divinis mediis, verbo & Sacramentis, utantur, & Spiritui S. corda aperiant. Hoc, opinor, est, quod Apostolus ait: Non est volentis, neq; currentis, sed DEI misericordis. Adjicendam itaq; consui, è literis nuper ad me datis, laudati Viri Responsionem: (Quando mihi offers Marci Frederici Wendelini Exercitationes Theologicas, & quidem octavam ordine, ubi in materia de Electione s. Prædestinatione, contra verè Hæreticorum malleum D. Gerhardum, nunc *en à vous*, disputare intendat, & simul ex Colloquio meo cum Calvinianis instituto & publicato quædam allegat, mihiq; id affricare vult, à quo me profiteor alienum, cupisq; ex me responsiones meas ad talia; jam paucis me expediam, quædam in genere, quædam in specie attendens. In genere scito, me jam ante ex relectione illarum exercitationum id observasse, sed vix dignum judicasse responsione, quandoquidem introspicienti coherionem antecedentium & consequentium, in meo colloquio, fucus, quem Wendelinus facit, sit in manifesto. Neq; verò mirum est, si mihi tanquam recentissimo Lutherano, ut scribit ille Veteranus Calvinianus, quædam affricare, sed præfrictâ fronte, conetur, cum Viris de Ecclesiâ CHRISTI præclarè meritis, utpote ipsi B. Gerardo, quin & D. Hunnio, & D. Mylio, D. Eckardo illa ipsa Exercitatione 8. non paria solum, sed majora intent et. Ferenda sunt*

D

hæc,

hæc cum patientiâ, & tamen ubi occasio fert, retundenda est illa ma-  
litia. Sed mirum est, quod Antesignanus sectæ Calvinianæ *Chri-  
stophorus Massonius*, in Anatomia suâ universali triumphante, ubi &  
in genere, in præloquio tertiæ partis, & passim deindè per 3. & 4. to-  
mum hoc colloquium arrodit, hujus tamen nec γρὺ faciat menti-  
onem. Sc. ille cæcus in hoc fuit, at oculatus Wendelinus hæc offen-  
dit, quod alii non potuerunt cernere. Scripsi ego contra Massoni-  
um Apologiam, eamq; Anno 1649. publici feci juris, sed ad eam  
hucusq; quod sciverim, nullus quicquam reponere molitus est. In  
specie quod attinet p. 292. & 293. quam citat Wendelinus, ubi dicitur  
*MEDIUM*, quo ad electionem pertingimus, esse fidem, quod con-  
tra orthodoxiam nostram esse scriptum putat, jam observasse de-  
buisset Censor Wendelinus, non adhibere in colloquio illo Luthe-  
ranum hanc vocem, *MEDIUM* sc. sed Calvinianum, pag. enim 291.  
sic introducitur querens Calvinianus: Quam proximè fides acce-  
dit ad electionem; Estne *MEDIUM*, cujus intuitu DEUS elegit  
homines, an v. effectus electionis? Ex ore igitur & mente Calvinia-  
ni querentis, vocatur fides *MEDIUM*: Quin & Keckermannus,  
qui citatur cum Martino pag. 292. pro voce medii substituit vocem  
conditionis, ut sic medium, vel conditio, sint ex quaestione Calvinia-  
ni idem. Proindè in responsione Lutherani retinetur vocabulum  
Medii, sed ne quis id inde, quod Wendelinus vult, exsculpat, ecce,  
statim è conspectu in margine, per signum (a) legitur: vel conditio.  
Quomodo verò fides decretum Electionis ingrediatur, & quibus ar-  
gumentis in concussè probetur: Fidem esse conditionem in actu  
Electionis, hic non disputo, quia ex eo à Wendelino non accusor.  
Explicavi autem hanc rem in Medulla Theolog. artic. de Prædest:  
Quod præterea ait me pag. 296. statuere: Homines non parum  
conferre posse ad sui electionem, si divinis mediis, verbo & Sacra-  
mentis, utantur &c, Sicq; venire contra D. Paulum, qui docet: Non  
esse volentis, nec currentis, sed miserentis DEI: jam fateor verba  
sic sonare; ac fiat respectus ad antecedentia & consequentia, &  
res erit in aprico veritatis, mundisq; omnia munda & sana. Litera  
enim (a) citavi ex Augustino hæc verba; Ambula per fidem, ut ad  
prædestinationem pervenias. Ex illis ipsis, quæ respectum habent  
ad pag. 295, ubi locus Act. 13, 48. explicatur, Calvinianus quarit: An  
homi



homines se possint ordinare ad electionem. Hic respondeo verbis, quæ citat Wendelinus, sed nihilo minus facio, quam quod in iisdem contra Orthodoxiam impingam. Nam ipse Calvinianus postmodum introductus ut quærens, pro me loquitur, dum manifestè dicit: Me in PROBAM electionis hæc dixisse. Responsio præterea insequens Lutherani idem arguit, ut & quæ ex Augustino Libr. 3. contr. Jul: & ex Bernhardo adducuntur. Aliud verò est loqui de PROBA electionis, quam mea verba respiciunt, aliud de Efficiencia. Sed & hæc alibi à me, & ab aliis me majoribus sunt satis superq; deducta. Vides hinc Adm. Rever. & Excell. Vir, Frater in CHRISTO honoratissime, quam verum illud sit: ῥοδὸν μελίσσαις μὲν γλυκὺ σέλιον μέλι, ἔνθεν δ' ἀράχνης αἰανὸν ἰὸν πῖψ.

XXI. *Secundum Wendelini argumentum*: Elegit nos DEUS, ut Sancti & inculpati coram eo essemus Eph. 1, 5. E. non elegit, quod tales futuros prævideret, vel quod in prævisione ejus tales essemus. Resp. Gerhardus: disparem esse rationem operum & fidei, in æterna DEI prævisione: neq; sequi; Electi sumus, ut essemus Sancti & irreprehensibiles. E. sumus electi ad fidem, ut crederemus. *Regerit Wendelinus*: Militat argumentum contra fidei & operum prævisionem, quatenus illa à Pontificiis, hæc à vobis asseritur: vel utraq; à Pontificiis & Lutheranis nonnullis, si electi sumus, ut essemus Sancti & irreprehensibiles, utiq; ad fidem etiam electi sumus. consequentiæ soliditatem ne quidem portæ inferorum evertent: Siquidem Sanctitas in nobis nulla est sine fide, quæ ex nobis fluat. Ad effectum enim quæ nos elegit divina miseratio, eadem ad Causam quoq; elegit &c. *Bella Consequentia!* quia nimirum nihil valet de Effectu, quin simul verificetur de Causa. *Qualis Causa, talis effectus: Et contra: Qualis Effectus, talis causa.* Pudori habere debuisset veteranus Philosophus tam spissam ignorantiam, sivè

seriam, sive affectatam, discriminis inter causam Univocam & Æquivocam, ut & inter Prædicata Essentialia & Accidentalibus. Causam sanè si spectemus Univocam, nil ipsi attributorum Essentialium competit, quin deprehendatur etiam in effectu. Sic quia ζῶον λογικόν homo est generans, nec aliud quid homo genitus esse potest. Sic Horat. Lib. IV. Ode IV.

Fortes creantur fortibus & bonis,  
Est in juvenis, est in Equis Patrum  
Virtus, nec imbellem feroces  
Progenerant Aquilæ Columbam.

Falleret autem & falleretur vehementer, si quis Canonem vel de attributis accidentalibus, vel de causis æquivocis, explicaret. Num quid rationale quid erit opus Artificis, Domus, mensa, scamnum? quia ratione non caret artifex. Annon ἀλόγως concludetur? Pater est electus, ut David. E. & Filius, Absalon. At causam Sanctitatis æquivocam etiam fides suppeditat, intolens hoc modo prædicamentum Relationis, cum sanctitas pertineat ad Categoriā Qualitatis. Nequaquam igitur idem prorsus iudicium de fide & sanctitate ferendum. Ultramq̄, verò tam operum, quàm fidei prævisionem, ab ullo γρησιῶς Lutherano propugnari, veritas est Calvinistica b.e. Octopedale mendacium. Cum Schismatico Helmstadiensi, Horneo, Electionem ad gratiam ita discernente ab Electione ad gloriam, ut illam quidem absolutam, hanc verò fundatam statuat non tantum in prævisione fidei, verum etiam poenitentia, charitatis & bonorum operum part. 2. Disput. 2. nil nobis intercedit commercii. Nequaquam insuper Wendelinus jactat individuum nexum fidei & sanctitatis de prædest. cap. XVII. Nam neq̄, Calvinianorum quispiam vel nexum incidet, quo fides justificans coniungitur studio bonorum operum, ac paci conscientia, vel inficias ire audebit, fidem justificationem respicere, ut causam, studium v. bonorum operū, & pacem conscientia præ se ferre rationem consequentis, s. effe-

*effectus. Si igitur suo niti talo hoc debeat argumentum. DEUS nos elegit, ut essemus sancti. Ergò ad hoc etiam nos elegit ut crederemus in Christum: Pari jure inferemus nos: DEUS nos justificat fide, ut pace fruamur cum ipso & in studium bonorum operum fervidè incumbamus. E. etiam ad hoc nos justificat, ut credamus, & consequenter fides in justificatione, officio causæ minimè defungetur.*

XXII. *Tertium Wendelini argumentum est: Fides est effectum Electionis. E. Fides non est causa, quæ DEUM ad eligendum nos permoverit. Responderi quidem posset, variato respectu, nil prohibere, quin efficiens & finis sibi mutua causa existant: Finis exstimulet efficientem ad agendum, & vicissim ab efficiente producat, docente Philosopho, 1. Metaph. 2. & confitente ex adversariis tum Goclenio part. 1. problem. Logicorum Problem. 33. tum Timplero lib. 3. Metaph. cap. 2. quæst. 13. tum Keckerm. lib. 1. System. Log. sect. 1. cap. 18. Ubi hunc ponit Canonem numero quartum. Finis est causa & effectus, alio atq; alio respectu: & subjicit explicationis uberioris ergò ista: Quatenus enim consideratur ut productus & existens, eatenus posterior est efficiente, atq; adeò effectus: quatenus autem consideratur ut à primario agente præconceptus & cupitus, habet vim causæ. Sed transeant ista. Respondemus nos per concessionem totius, turpi laborantis ἀγνοία ἢ ἐλέγχα. Imò si velimus ἀκριβολογεῖν, fides nullam planè causalitatem exercet, in decreto Electionis; Sed necessarium duntaxat προσηκείμενον s. requisitum, & conditio existit, quæ causa sine qua non, improprie sic dicta, titulo designant: sicuti accuratius Electio antecedens fidei audit, quam causa; Fidei, inquam, spectata secundum realem ὑπαρξιν, quomodo electione posterior est, non ratione divini intuitus, secundum quem Electi-*

D 3

onem

*onem antegreditur. Rom. VIII. quos prescivit, hos predestinavit.*  
XXIII. *Occidit VVendelin. §. 25. conditio Ele-*  
*ctionis non immerito suspecta est. Conditio Electi-*  
*onis si ideò fides dicatur, quod in objecto eligibili re-*  
*quiratur & præsupponatur, ita, ut neminem elegerit*  
*DEUS, nisi in conspectu suo fidelem prius, quoad or-*  
*dinem, quam eligeretur, non assentior: quia Scriptu-*  
*ra non assentitur: quæ ad id nos Electos docet, ut*  
*sancti & fideles essemus, non quia, quoad ordinem, in*  
*DEI intuitu, jam sancti & fideles eramus: ut jam modo*  
*ostendi & deinceps pluribus ostendã. Sed ostensa quoq; jam*  
*à nobis ερεβλότης versic. 12. Eph. I. Ostensa simul necessitas eius*  
*conditionis, quæ per fidem adimpletur. Sola nimirum fides est,*  
*per quam placemus DEO Hebr. XI, 6. Fides est, per-*  
*quam CHRISTUS habitat in cordibus nostris Eph. III,*  
*17. Fides est, quæ ὑποθεσία nobis conciliat, formalem E-*  
*lectionis rationem Job. I, 12. Fides est, per quam justus vi-*  
*vit Hab. II, 34. Fides est, quam à salvandis voluntas*  
*DEI Evangelica exigit Joh. VI, 40. De Fide scriptum*  
*Col. I, 22. DEUS sistet vos sanctos, & immaculatos, &*  
*irreprehensibiles coram ipso: Si tamen perman-*  
*seritis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à*  
*spe Evangelii quod audivistis. Hebr. III, 6 Sumus do-*  
*mus CHRISTI, si fiduciam & gloriam spei usq; ad fi-*  
*nem firmam retineamus. Matt. XXIV, 13. Qui perseve-*  
*rabit usq; ad finem, salvabitur, Apoc. II, 10. Esto fidelis*  
*usq; ad mortem & dabo tibi coronam vitæ. Verissime*  
*igitur Theophyl. Elegit nos per ipsum, i. e. per fidem in*  
*ipsum. Chrysost. Quid est: Elegit nos in CHRISTO;*  
*per fidem quæ in ipso esset, istud Christus antequam*  
*nasceremur, disposuit, imò priusquã orbis fundamen-*  
*ta jacerentur. Et Haymo Episcopus Halberstadiensis, Ca-*  
*rolis*

*foli M. Præceptor, suis in universam Scripturam commentariis ce-  
leberrimus: Omnipotens Pater prædestinavit omnes cre-  
dentes in Christum, ut ipse sit caput omnium in se cre-  
dentiū, & omnes credentes sint ejus mēbra, unde & hoc  
capite Apost. ait, Deum elegisse nos in ipso, i. e. in Chri-  
sto, gratos nos reddidisse in dilecto filio suo, secun-  
dū beneplacitum, quod posuit in eo, videlicet Christo.*

XXIV. §. 27. VVendelin. *Aristarchi nigrum* §.  
*præfigit tum Gerharo, tum Meisnero, quod ἰσοδυναμῆντα*  
*statuant, CHRISTI meritum fide apprehensum, & fi-  
dem CHRISTI meritum apprehendentem: Quia*  
*CHRISTI meritum sit Filii DEI λόγον pro humani*  
*generis redemptione persolutum, id verò de fide*  
*CHRISTI meritum apprehendente nemo sanæ men-  
tis dixerit, nisi VVendelinus & similes ἀπίθετοι subti-  
litates istas capere fortè nequeant. Verum inspiciatur*  
*integer contextus, & omnia in aprico posita ac in vado constituta*  
*perspiciemus. Convenientius est, inquit Meisnerus Ana-  
thropol. Decad. 2. Diss. 14. tb. 36. Fidem nuncupare vel*  
*conditionem Electionis, ne fingatur esse absoluta, vel*  
*partem ordinis prædestinatorii, quam DEUS ab æter-*  
*no, non minus ac Christi meritum, aspexerit. Conve-*  
*nientissimum illud videbitur, fidem non considerari*  
*SEORSIM, ut Causam Electionis peculiarem à*  
*CHRISTI merito distinctam, sed CONJUNCTIM,*  
*unà cum ipso merito apprehenso, ut sic utrumq; co-*  
*pulatum unam Electionis Causam impellentem con-*  
*stituatur. Hinc pergit: Neq; enim meritum sine applicati-*  
*one, neq; fides per se movit DEUM ad eligendum,*  
*sed utrumq; in præscientiâ divinâ conjunctum, h. e.*  
*meritum fide apprehensum, vel fides meritum appre-*  
*hendens. Sed & ista addit: Quicquid verò sit de ap-*  
*pella-*

pellationibus & modis loquendi, satis est, si modò istud teneatur, Electionem non esse factam absolutè, sed cum respectu ad fidem, qua meritum CHRISTI apprehenditur, ut velut in tempore salvamur, ob applicatum CHRISTI λόγον, sic ob idem ab æterno ad vitam non prædestinatos esse credamus. Quibus profectò verbis quid dici clariùs possit, ad innuendam fidem seorsim spectata in Electionis negotio, necessitatem, sub ratione requisiti, non videmus. Quicunq; autem fidem διηγμένως sumptam confundit cum fide ηνωμένως acceptâ, prout meritum CHRISTI complectitur, sat ἀπαιδευτως agit. Summa hûc redit: Electi sumus non propter fidem, aut propriam dignitatem, virtutem & pretium fidei, tanquam Qualitatis nobis inherens, sed per fidem tenentem pretiosam illam margaritam, quâ nihil orbis complectitur charius & prestantius, ipsum JESUM CHRISTUM. Matt. XIII. Sicuti annulus aureus aliquot interdum estimatur coronatis, ob pretium nobilissima gemma, quam inclusam ostentat.

XXV. Deinde Wendelinus possimè sententiam alienam nostratibus affingit §. 31. Aut Pelagiana hæc est prædestinationis methodus ac declaratio, aut ne speciem quidem sanæ mentis habet. Pelagiana est, si hoc vultis, DEUS ab æterno decrevit omnes in Adamo lapsos instaurare & æternâ vitâ donare, sed cum hac conditione, si vocationi Evangelicæ essent parituri, & per vires in natura corruptâ reliquas credituri: vel ad dandam fidem, DEI solius donum & supra naturæ vires arduum, occasionem DEO, promptitudine suâ, in externis usurpandis mediis, essent præbituri, &c. Ab hac declaratione si abhorretis, hæc utiq; vestra erit sententia, Deus ab æterno decrevit omnes

omnes in Adamo lapsos ad vitam æternam instaure, sub hac conditione, si fidem omnibus esset daturus, quam non nisi dante ipso habituri essent, per naturam in peccatis mortui. Etenim nisi ignorantia laborasset affectatâ, cognoscere potuisset facillimo negocio, ut varia variarum scripta taceam, genuinam nostratum sententiam, è Formula Christiana Concordia, ubi perspicuè docetur, quo ordine, in actu Electionis, 7. distincti decretorum divinorum gradus se invicem excipiant, ut Primus Redemptioni, Secundus Redemptorum vocationi, Tertius vocatorum justificationi, Quartus justificationum sanctificationi, Quintus sanctificationum conservati- ni, Sextus conservatorum confirmationi, & ultimus Confirmatorum glorificationi assignetur. Concipienda igitur fidei, adeoq; implenda conditioni, quâ Deus in Electis requirit, etsi naturales hominis vires per se impares sint: Paratus tamen Deus est, cum gratiâ sua, tum fidem per Evangelii prædicium singulis obferre Act. XVII, 31. Inò excitare in omnibus Rom. X. tanquam per diva- pulis Ius ægis σαρκείας Rom. I. Et spirituale illud semen, è quore nascimur 1. Pet. I. tum per Sacramenta, seu ὀχήματα di- vine gratiæ, & σφραγίδας efficacissimas obsignare Rom. IV. Sat interim virium nobis suppetit, obicem Spiritui S. conversionem, ac regenerationem nostram aggredienti ponendi, atq; adeò conditionem illam, sub qua Electio fit, impediendi, ac Electorum cœtu nosmetipsos excludendi. Os. IV, 6. c. XIII, 6. Matt. XXIII, 38. Luc. VII, 30. Act. VII, 51.

XXVI. §. Sequent. num. 32. VVendelin. ἀπρυωνή molitur πρὸς τὸ τέλος: quâ Sapiencia, inqviens, Objectum Electionis constituatis hominem in intuitu DEI ad fi- nem perseveranter fidelem, adeoq; ratione ordinis prius perseveranter fidelem, quam Electum, attendi- te, quæso, si vultis. Homo prius, quam elegeretur, perseveranter ad finem usq; fidelis fuit: E. prius quam ad vitam eligeretur, ad fidem jam erat electus,

E

& in

& in intuitu DEI fide donatus, justificatus, sanctificatus, adoptatus, vitamq; æternam auspiciatus. Quid verò opus tum erat Electione aliã & novã, quando ante Electionem ad Vitam, in intuitu & decreto DEI, id jam habuit homo, per electionẽ ad fidem & ea quæ à fide inseparabilia sunt, quod obtingere per Electionem ad vitam potuit. Resp. non statim falsum esse, quod absurdum VVendelino videtur. Nullum certè pro adequato poni Prædestinationis objecto, quam hominem, respectu divini intuitus, jam vocatum, justificatum & sanctificatum, sive, quem D E U S ab æterno previdit communi omnibus vocationis gratia tandem pariturum, neq; succedentes gratia plenioris gradus deinceps impediturum, sed crediturum per oblatam gratiam, & in illa usq; ad extremum vite halitum constanter perseveraturum, vel perpetua patitur Decretorum divinorum & executionis harmonia, vel Oraculum I. Pet. I, 2. quo Electi perhibemur SECUNDUM PRÆSCIENTIAM DEI Patris, in sanctificatione Spiritus, & aspersionem sanguinis JESU CHRISTI. Grandis verò ex integro ἀπειθεύοιας est, & insipientis admodum sapientia, negare, vel ignorare, quod aliter longè vita æterna per Justificationem, aliter per futuram glorificationem, per illam scilicet solà spe, per hanc autem re ipsa obtineatur: a deoq; Deus, in Electionis actu, aliter conferre credenti vitam æternam per Justificationem, aliter per Glorificationem decreverit.

XXVII. Urget præterea VVendelinus pro argum. III. confirmatione Loc. ex Act. XIII, 48. Crediderunt, quotquot erant ad vitam æternam ταγμαίνοι b. e. ordinati. Resp. B. Gerhard. Scripturam meminisse hominum ἀπειθεύοιας & ταγμαίνοιας: Illos esse, qui ordinem à DEO præceptum non servant, sed ab eo deflectunt, hos, qui ordinem divinitus præscriptum servantes bonum illud obtinent, quod DEUS obfert: Fecisse illud Judæos, adeoq; ἀπειθεύοιας fuisse: Hoc Gentiles, & ideo

ΤΙ ΤΙ



τεταγμένους prædicari. *Regerit Wendelinus:* App-  
 ret hinc Ἰησὺς τεταγμένους hoc loco vobis esse cum Socia-  
 nis, Arminianis & Pelagianis, non prædestinatos, vel  
 electos; sed ordinis à DEO præscripti observantes,  
 quos opponitis non reprobis, sed ἀτάκτοις, h. e. ordi-  
 nem illum negligentibus: Unde *Loci sensus hic est:*  
 Crediderunt, quotquot cum gaudio verbum suscepe-  
 rant, qui ita fuerent dispositi animis, ut Apostol. concio-  
 ni assentirentur. Itane verò Majores vestri? Et ubi quæ-  
 so hanc verbi τεταγμένοι significat. in scriptura Græcâ  
 didicistis? Dicite, quæso, cur Gentiles potius ver-  
 bum cum gaudio exceperint, quam Judæi: Cur τετα-  
 γμένοι potius, quam Judæi fuerint? *Resp. Significationem*  
*hanc vocis controversa, è scriptoribus Græcis tam sacris, quam*  
*profanis, probatu esse facillimam. Ut enim apud Xenophonem,*  
*Plutarchum, Platonem, τεταγμένοι non rarò pro illo*  
*ponitur, qui ad rem quampiam, munus aliquod, aut actionem o-*  
*beundam, aptus & idoneus animadvertitur, sumptâ loquendi for-*  
*mula à militibus, qui propriè τεταγμένοι nuncupantur, cum ordi-*  
*nem, & stationem à supremo Imperatore sibi demandatam, stre-*  
*nuè tuentur, & hinc vel latum unguem deflectere nefas ducunt;*  
*Utiq; in Textu Hebr. milites Babylonem oppugnaturi; dicuntur*  
 מְסֻדָּרִים ordinati, benè dispositi, alacres & expediti ad pugnam  
*Jer. L, 42. Ita quid Act. XIII, 48. τεταγμένοι notet, partim*  
*oppositum ἀτάκτοις, partim συνάφεια Textus docet. Ἀτάκτοι e-*  
*nim audiunt, qui ordinem divinum deserunt 1. Thes. V, 14.*  
*Corrigite ἀτάκτους. 2. Thes. III, 6. Subtrahite vos ab o-*  
*mnifratre ambulante ἀτάκτως. Vi oppositionis igitur τετα-*  
*γμένοι erunt, qui ordinem divinitus sancitum servantes, apti sũt*  
*ad bonum quoddam consequendum, quod DEUS promittit:*  
*Speciatim autem Ἰωὴν τεταγμένων ad vitam æternam sustinere*  
*appellationem duntaxat illi poterunt, qui salutis sempiternæ desi-*

derio flagrant, ad eamq̄, seriò adspirant, seu, phrasi Scripturae, ex-  
spectant regnum Israël, aut Messiam. Qualis erat Prophetis-  
sa Hanna, locuta de infante JESU omnibus, qui expectabant  
redemptionem Israël Luc. II, 38. Quali etiam nomine celebratur  
domus Stephana 1. Cor. XVI, 15. quod se ordinaverit ad mini-  
sterium, h. e. prompto paratoq̄, animo tam sancto operi se addixerit  
& mancipaverit. Accedit contextus. Proponebant publicè, Pau-  
lus & Barnabas, doctrinam de JESU CHRISTO, teste vers. 43.  
44. idq̄, Antiochia in Pysidia. Doctrina huic rabiosè reniteban-  
tur, invidia a stro perciti Judaei, & quibuscunq̄, poterant scomma-  
tibus eam traducebant vers. 45. denunciabatur idcirco illis gra-  
visima poena vers. 46. Vobis oportebat primùm loqui  
verbum DEI: Sed quoniam repellitis illud, & indi-  
gnos Vos judicatis aeternâ vitâ, Ecce, convertimus  
nos ad gentes. Quasi dictum fuisset: Contemptu & repul-  
su organi, & ordinis, divini us in aeterno Electionis decreto salva-  
ri cupientibus destinati, extrinsecus impietate ac blasphemiam, in  
CHRISTUM ipsum, vera aeterna autorem, redundante, Vos, O in-  
gratissimi mortaliũ & miserissimi, nil aliud agitis, quam ut vos ipsos  
tanto beneficio orbetis. & indignos palam praestetis & declaretis,  
cum vobis DEUS primò medium illud ac ordinem omnibus, qui-  
bus salus aeterna cura cordiq̄, est, in Tabulis praedestinationis divi-  
nae sancitum annunciari voluerit, tanquam populo, quem ex omni-  
bus terra nationibus, in peculium suum adoptare, eaq̄, maestare pre-  
rogativa dignatus est, ut hinc Salvator mundi in auras vitales pro-  
diret, imò quem mox ab egressu ex Aegypto, & ingressu in ter-  
ram Canaan, a deo adauxit, quae incredibilis ipsius benignitas  
est, ut capi totus solâ hac regione nequiverit, fide jubente Exemplo  
Judeorum, quotquot in urbe hac Antiochia degunt, sed pedem  
plurimos figere inter gentes oportuerit, eum ob finem, ne his quoq̄,  
deessent, qui Religionis verae mysteria edissererent, & Ecclesie po-  
maria latius extenderent. Ethnicorum contrario itinere pleriq̄,  
Ape-

Apostolos precantur, ut repetant concionem de CHRISTO crucis  
fixo & resuscitato, viâq; ad vitam æternam ducente, antea habi-  
tam; mox etiam voti hujus eventum consecuti, amplissimâ coro-  
nâ Apostolos cingunt, non blasphemantes, non contradicentes, sed  
suspensis & arrectis auribus cuncta imbibentes. Tandem sub-  
iunguntur hæc verba: Crediderunt, quotquot erant or-  
dinati ad vitam æternam, h. e. quotquot ordinem divinitus  
salvandi præscriptum probe observabant & sequebantur, quam-  
que semel, divini spiritus afflatus instinctu, ingressi erant orbitam,  
dextrè calcare pergebant. Interim cum aliud sis Spiritus S. præ-  
venienti gratia jam excitatum, eidem, per ordinis divinitus con-  
stitutæ observationem debitam, parere, nec pertinaci resistentiâ sa-  
lutare Conversionis opus impedire; aliud obsequii promptitudine  
gratiam istam promereri, atq; ad illam se preparare & disponere:  
Aliud verbum divinum auribus externis percipere, aliud per natu-  
ram verbo assensum præstare; nulla in nostris Pelagianismi  
culpa habebit: Sed uti telum, si incidat in corpus solidum, sæpenu-  
mero retorquetur in eum, à quo emissum est: Ita Calumnia  
Wendelini in Autorem recidet.

XXVIII. Ad Lutheri pronunciatum: Ex Electione flu-  
ere, Qui credere vel non credere debeant; Abundè respōdet  
Gerhardus: de sententia Lutheri, ordinatè non abso-  
lutè fluit ex Electione, qui credere vel non credere  
debeant: Illi nimirum credere debent, qui medium, ad  
fidem in CHRISTO consequendam, ordinatum non  
negligunt. Nam qui ab æterno præsciti sunt, & pro-  
pter id ad vitam æternam ordinati, hi etiam in tempore  
credunt actualiter, juxta seriem nimirum mediõrum  
descriptam Rom. VIII. Quos præscivit, hos præde-  
stinavit. Quos prædestinavit, hos & vocavit. Quos  
vocavit, hos justificavit. Quos justificavit, hos glo-  
rificavit. Ut in Electione vocatio specialis fundata sit, ab hac v.  
justificatio, & sic fides mediatè ab Electione pendeat. Evens

Wendel. §. 38. Neminem venire ad CHRISTUM,  
nisi quem Pater trahat, neminem v. trahere Patrem,  
nisi quem Filio dedit; *Non probat absolutum Prædestina-  
tionis decretum, sed à diva pater modo humanam, salutem & quæ  
ad hanc requiruntur media procurandi, quam & Lutherus in-  
nuit, cum addit in præfat. super Epist. Rom. Damit es gar auß  
unsern Händen genommen / und allein in GOTTES  
Hand gestellet sey / daß wir from werden. Sicè August. de  
Bono Perseverant. cap. XIV. An quisquam dicere  
audebit, DEUM non præscisse quibus esset daturus,  
ut crederent? aut quos daturus esset Filio suo. ut ex eis  
non perderet quenquam? Quæ utiq; si præscivit, pro-  
fectò BENEFICIA SUA, quibus nos dignatur, libe-  
rè præscivit. Et Ambros. libr. 2. de Vocat. Gent. cap.  
9. DEUS sicut præscivit ante secula, quanta totius  
mundi hominum multitudo vel communibus usa do-  
nis, vel specialibus adjuta præfidiis, declinans tamen  
ab itineris veritate, ingressura esset latitudinem erro-  
ris & mortis; Ita semper præcognitum habuit, quan-  
tus piorum numerus per opem gratiæ, & per servitu-  
tem obedientiæ, ad æternæ vitæ beatitudinem perti-  
neret. Ad hæc incommodè dictum in Expositione quarundam  
propositionum Epist. Rom. DEUM elegisse fidem in præ-  
scientia, ut quem sibi crediturum esse sciverit, illum e-  
legerit, disertè retractat Libr. Retractat. cap. 23. Proficiendo  
scribens, & scribendo proficiens. Utq; Pelagianis nondum li-  
tigantibus securius locuti sunt Patres, teste eodem Augustino,  
cui etiam, è propriis scriptis, artem illi ipsi immiserunt: Sic an-  
tequam contentions ferram reciprocare nobiscum Calviniani  
caperunt, minus circumspicere voces quasdam nostratibus excidis-  
se, baud diffitemur. Ut labore Dn. Urbani Regii, Viri alias  
Præclarissimorum erga Ecclesiam meritorum gloria fulgentis, è  
Con.*

Concione de fructu Passionis CHRISTI, tam prolixè transcribendi, & quascunq; veterum Theologorum locutiones inaccuratas aucupandi, supersedere adversarius potuisset. Quemadmodum olim & alios fuisse novimus orthodoxos Theologos, qui antequam certaminis tubam Huberus inflaret, Terminum Electionis Universalis usurpaverunt, sumptum ἀνογολόγως ἔκαταχρητικῶς, pro universali dilectione, seu DEI erga universum genus humanum benevolentia.

XXIX. *Quart. Argum. est petitum ex IX. cap. Rom. vers. 16.* Si DEUS idè nos elegit, quod voluntatem nostram bonam, quod in stadio pietatis cursum prævidisset, Electio esset currentis opus. Atqui falsum Consequens E. & antecedens. *Ad Responsum B. Gerhard: larvas fingere VVendelinum, quibuscum disputet.* Etenim gratiam eligentis DEI opponi nostris meritis, non Christi merito: opponi viribus naturalibus, non fidei, quam à DEO habemus: tum demum aliquid obtenturum VVendelinum, si talis prævisa fides statueretur, quæ à nostro penderet studio, ex bono usu liberi arbitrii, vel ex libera cooperatione fluere: *Instat VVendelin.* Etiam si fidem à gratia obvenire asseritis, tamen gratiam internam voluntate hominis præveniri, haud obscurè docetis, quando fidem dari dicitis, secundum præscientiam externæ obedientiæ, in sedula & attenta verbi auscultatione, meditatione, in spinarum evulsione & impedimentorum remotione. *Fiat iterum Syllog.* Cuicumq; datur fides secundum præscientiam externæ obedientiæ, in sedula & attenta verbi auditione & meditatione, in spinarum evulsione & impedimentorum remotione, is voluntate sua gratiam DEI prævenit. Homini, è sententia Lutheranorum, datur ita fides 2dum præsc.  
extern.

extern. obedient, &c. E. Resp. Majorem hujus Instantia per  
ἀντιπασιον ἐν ἑωσκαυέτω semetipsam evertere. Sedulo enim  
& attentione justâ verbum divinum audire, piâq; meditatione  
sic expendere, ut spinarum spiritualium obstacula quævis radici-  
tus evellantur, stirpibus elidantur, non est opus in naturali viri-  
um humanarum potestate situm, sed gratie prævenientis Effectus,  
per insitam verbo hyperphysicam Efficaciam productus. Sicuti  
seminis terra jam commissi ea dos est ac indoles, ut ἀὐτομάτως in-  
crementum capiat, & paulatim in aristas assurgat, quieti etiam  
se tradente, ac somno indulgente Agricola: ita semen divini ver-  
bi, per naturam suam in animis auditorum germinat, & spontè  
in devota meditationis florem se induit, tandem lautissimum my-  
stica regenerationis fructum protrudit, adeoq; spirituales primiti-  
as, nova subinde charismatum accessione, auget, dum modo non de-  
stinata pertinacis inobedientia malitia suffocetur. Quamobrem  
Salvator concionem, de genuino verbi officio, juxta intentionem  
DEI, dispari autem, pro diversitate Auditorum, effectu, hac pare-  
nesi concludit: Qui habet aures ad audiendum audiat.  
Videte, quid audiatis. Qui enim habet, illi dabitur:  
Et qui non habet, ab eo etiam quod habet auferetur.  
Marc. IV, 24.

XXX. Argum. Quintum Wendelin. deprompsit ex  
Joh. XV, 19. quod hujusmodi est: Si Electio penderet ex  
fide prævisâ, h. e. ordine antegressâ Electionem, se-  
queretur nos priores elegisse DEUM. Atqui fal-  
sum Consequens. E. Respondente B. Gerharo: Quis  
nostrum dicit, quod fide nostri Electionem præveni-  
amus, quodq; priores nos elegerimus DEUM? neq;  
enim nos volumus, quod ipso actu fides Electio-  
nem antevertat, sed consideramus fidem, quemadmo-  
dum DEUS in æterno suo proposito constituit illam  
dare, per ordinaria media illis, qui mediis hæc legiti-  
mè

mè utuntur: VVendelin. Et contra prævisam fidem tale  
format argumentum: Qui credit in CHRISTUM, is ad-  
hæret CHRISTO: Qui adhæret CHRISTO, negle-  
cto Satana, eligit sibi CHRISTUM præ Satanâ: Qui  
igitur credit in CHRISTUM (in intuitu DEI æterno)  
priusquam eligitur ad vitam, is prius elegit quam eli-  
geretur. Resp. nos, Syllogismum ad nullam pertinere figuram  
usitatam, sed disponi in quartâ Figurâ, quam Galenus intro-  
ducere allaboravit, Philosophi autem ut reciperent, animum nun-  
quam induxerunt. Si reducatur ad Figuram primam hoc pacto:  
Q adhæret CHRISTO, CHRISTUM sibi eligit. E-  
lecti, juxta DEI prævisionem, in CHRISTUM cre-  
dentes, adhærent CHRISTO. E. Electi ita sec DEI  
præv. cred. in CHRIST. eum sibi elig. *Limitan la ve-  
niet Major. Q. adhæret CHRISTO eum in modum, ut grati-  
am CHRISTI fidei suæ merito provocet, is CHRI-  
STUM sibi eligit. Jam v. neg. Min. Prævenisse nos DEUM, vel  
propter operum nostrorum dignitatem electos esse, aperte CHRI-  
STUS negat: Ego, inquit, elegi vos, & posui, ut abea-  
tis & fructum feratis. Quo verborum tenore etiam fidem,  
tanquam fructum bonum, vel bonam actionem, quæ DEUM ad  
Benefaciendum, aut Electionem commoverit, sequestrat. Inde  
v. nondum conficitur, fidem nullatenus ad Electionem pertinere.  
Sileri patior, quod commentatores quidam non tam de Electione  
perseveranter credentium ad vitam æternam, quam discipulorum  
ad Apostolatam, locum citatum è contextu interpretentur. Quo  
sensu scriptum est Luc. VI, 13. Et cum dies factus esset,  
vocavit Discipulos suos & elegit 12. ex ipsis. Quos &  
Apostolos nominavit. Item Act. I, 24. Tu Domine, qui  
corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his  
duobus, ad accipiendum ministerium hujus loci &*

F

Apo-

Apostolatus. *Acquiescimus dexterrima explicatione Brentii super hunc textum: sive de Electione Apostol. sive de Electione omnium Sanctorum intelligas, parum retulerit, nam utrumq; fit sine meritis. Porro antea Christus testatus est erga nos suam charitatem, quod manifestant nobis Patris consilium in cruce, adeoq; omnem Patris voluntatem erga nos exposuerit, nunc eundem probat ab Electione gratuitâ. Sic enim dilexit nos, ut elegerit gratis prior, & sine meriti respectu. Sunt enim dona DEI ejusmodi, ut sine meritis conferantur, alioqui enim non essent dona, sed præmia (debita) Ita q; ut fides, quò dono justificamur & salvamur gratis, sine ullo operum respectu, sed merâ DEI liberalitate & misericordia donatur, ita & Apostolatus, reliqua q; id genus dona, ad ædificationem gratis conferuntur.*

XXXI. *Ad Responsum B. Eckardi in Fascic. Controvers. Calvin. c. 15, quæst. 9. per negat. connexionis in Majori, additâ hac ratione: Si ideò prædestinationis decretum fides non ingreditur, quia non nos DEUM eligimus, sed DEUS nos, justificationis quoq; negotium fides non ingreditur: quia non nos DEUM, sed DEUS nos absq; merito nostro justificat: Cui istam subjicit Gerh. Quia justificatio se habet ad Electionem, ut executio ad decretum; Reponit Wendel. Execut. decreto divino conformem se agnoscere, non quod eadem sint decreti & executionis objectorumq; decretum ingredientium Causæ, sed quod per alia media DEUS non exequatur, nisi per quæ exequi decrevit. Cur? quia decretum divinum sit actio DEI immanens, seu*



seu ipse DEUS decernens immediatè, sine ullo instru-  
 mento, causamq; voluntate sua priorem nullam agno-  
 scens. *Sylog. emergit duplex. Primus: Q. actio sit absq;  
 omni Instrumento, illa nec pro causa instrumentali ad-  
 mittit fidem. Electio est talis actio & c. E. Secundus: Q.  
 nullam agnoscit causam voluntate sua priorè, is neq; in  
 Electione attendit fidem. Deus nullam anoscit Cau-  
 sam, & c. E. Resp. ad primum per Limit. Maj. ex parte pra-  
 die. Q. act. sit absq; omn. Instr. illa nec pro Caus. Instr. admitt. fid.  
 sc. respectu agentis. Sic largimur totum, fidem statuentes  
 Causam Electionis Instrumentalem, saltem καθ' ἑμᾶς, quatenus  
 nullum aliud suppetit medium, seu organon ληπτικόν, quo Electi-  
 onis beneficium, vel fontem ac scaturiginem, gratiam DEI merito  
 CHRISTI partem, nobis applicari & appropriari DEUS un-  
 quam voluerit. Quamvis res eodem recidat, sive fidem Cau-  
 sam Instrumentalem nuncupaverimus, sive partem ordinis Ele-  
 ctionis decreto comprehensi, sive Causam sine qua non, & neces-  
 sarium requisitum Objecti Electionis, modo non prorsus ab Ele-  
 ctionis actu removeatur, cum sine illa CHRISTUS nobis nil pro-  
 fit. Quem in sensum Hunnius inquit in Loc. de Præ-  
 dest. Et hoc considerationis respectu, fides ingredi-  
 tur mysterium Electionis, non ut Causa meritoria,  
 propter quam DEUS nos eligat, sed ut Instrumenta-  
 lis, quæ gratiam eligentis Dei meritumq; CHRISTI  
 in Evangelio oblatam apprehendat: Atq; sic non  
 quatenus in sua dignitate, merito aut Conditione  
 pensitatur, ut qualitas quædam, habitus aut virtus,  
 sed tantummodò ut illa se habet relatè ad JESUM  
 CHRISTUM, tanquam Unicam æternæ Electionis  
 Petram & fundamentum. In Secundo Lim. Subj. Maj. Qui-  
 usq; nullam agnoscit Causam, sc. nec propriè sic dictam nec*

nalogicè, voluntate suâ tum antecedente tum conse-  
quente priorem, is neq; in Electione attendit fidem. Sic neg.  
Min. Et si enim à nulla moveatur Causa voluntas DEI antece-  
dens, & Universalis, de hominibus ad salutem perducendis; præ-  
supponit tamen Causarum certarum insuitum voluntas conse-  
quens, specialior est ad certum hominum ordinem determinata,  
ut, pro illorum varietate, dum oblata Salutis media alii recipiunt,  
alii rejiciunt, ipsa simul variet. Ita cum attributa, & actiones  
DEI internæ, realiter ab Essentiâ divinâ non differant, nulla re-  
alis Causa, vel rigorosè sic appellata, eis assignari potest. Rectè  
tamen Causam aliquam eis attribuimus impulsivam, si latè ter-  
minus hic sumatur, pro quacumq; ratione à priori, quæ Conditio-  
nem Causæ impulsivæ imitatur, & ἕτημα: Quid DEUM ab eter-  
no moverit, ut ex lapsis hominibus aliquos, & hos quidem potius,  
quam illos, ad vitam æternam prædestinaverit? non minus sol-  
vat, quam si vera, realis, & secundum ἀνεξαρτήτως Metaphysi-  
cum sic dicta Causa, afferretur. Quædam Causa est verè  
& realite causans (secundum aliquod Genus causali-  
tatis) id cuius causa dicitur, & distinguitur realiter ab eo  
cujus est Causa, sicut rationalitas est Causa risibilitatis.  
Quædam a. est, quæ non tam est causa ejus, cuius cau-  
sa dicitur, quàm ratio, quod illud insit, & non solū ratio,  
quod cognoscatur inesse: Sicuti omnimoda immuta-  
bilitas in DEO est causa suæ æternitatis, & immate-  
rialitas inventa in anima est Causa suæ immortalitatis  
ait Cajetan. in Prim. Poster. cap. XI. Ἄπλωσ; qui denegat  
voluntati divine Causam impulsivam, negare utidem tenetur, vul-  
tam dari causam impulsivam & meritoriam, à quâ voluntas di-  
vina moveatur in negotio Justificationis.

XXXII. Atq; hinc corrucere oportet simul Argum. 6. repe-  
ritum à VVendelin. §. 46. Si fides prævisa & opera  
impu-

impulissent DEUM ad Electionem, impellerent quoq; ad vocatio-  
 nem. At Consequens falsum. E. & Antecedens. Ad quod  
 rectissime respondit Gerh: *λίαν μέρος ψευδῶς* committi: Non ita  
 nos esse *ἀλόγους*, ut fidem Electionis causam esse statuamus. Quis  
 Wendelinus regerit: Est hæc prima Inter Nos & Vos, Pelagia-  
 nos olim & Pontificios, exorta quaestio: Quid moverit Deum, quod  
 ab æterno aliquos tantum ad vitam Elegerit, præteritis aliis? Hæc Pa-  
 tres vestri, recentiores Lutherani, cū Pontificiis & Pelagianis, respon-  
 derunt: Causam particularitatis hanc esse, quod præviderit Deus ali-  
 quos tantum in Christum credituros, vel fidē consecuturos per appre-  
 hensionem mediolorum externorum. Ubi eò usq; progressi sunt vestri,  
 ut & opera prævisa in auxilium vocarint; novum committunt crimen  
 falsi, adeoq; injuriam injuriā cumulant. Rationem sanè aliquam in Ele-  
 ctionis decreto, prævisa subministrat fides perseverans, juxta ordinem  
 à DEO ipso sancitum: causam v. motivam si loqui *ἀκρίβως* velimus, ut  
 certe debemus, nulla enim, quippe quam nullam credimus, si à gratia  
 DEI abeamus in merito CHRISTI fundatā, quatenus tamen fide per-  
 severante apprehenditur. In hoc enim universa Patri *εὐδοκία* sita  
 est Matt. III, 17. Hic Patri mundum universum reconciliavit, & ne  
 nobis imputarentur peccata nostra, sed ut Justitia DEI efficeremur in  
 illo 1. Cor. I, 30. peccatum ipsum fieri sustinuit, II Cor. V. Hic consti-  
 tutus salvandorum caput Eph. I, 2. Hic justitiam æternam reduxit.  
 Dan. IX, 24. Hic nos à lege liberavit, & *ὑποθεσίαν* acquisivit Gal. IV, 5.  
 Hic omnium benedictionum spiritualium plenitudinem præparavit, &  
 præparatam communicat Eph. I, 22. & cap. V, 23. tanquam idem *ἀγ-  
 χηγὸς καὶ τελειωτὴς σωτηρίας ἡμῶν* Hebr. II, 10. & XII, 2. Opera  
 ad eundem censum cum fide à nostratibus hūc vocari, calumnia est,  
 jam superius confutata. Et si opera mala, & inter hæc incredulita-  
 tem, ingratitude, ac rebellionem particularitatis s. paucitatis Ele-  
 ctorum Causam sufficientissimam esse non negemus. Eamq; ceu com-  
 munem omnium *γενήσιως* Lutheranorum Sententiam, clarissime ape-  
 rit Form. Concord. quam qui hodie ullo in articulo deserit, si non here-  
 seos, Schismatis certè dicam justissimam proferetur. Sic enim illa  
 p. 814. Æterna DEI prædestinatio in CHRISTO, nequaquam Extra  
 Mediatorem CHRISTUM consideranda est. In CHRISTO enim  
 F 3 elegit

elegit nos DEUS, antequam mundi fundamenta jacerentur, & pag. 817. cum Electio nostra ad vitam æternam, non virtutibus aut justitia nostra, sed solo CHRISTI merito, & benigna voluntate Patris cælestis nitatur, quando filii ipsius obedientiam non præstant, per verbi prædicationem ad obedientiam revocat, &c.

XXXIII. *Subseq. §. 57. perperam Wendelinus confundit vocationem ἀπαλῶς spectatam, quatenus solam denotat invitationem, cum eâ, quæ conjunctam tenet debitam & constantem vocatorum participationem, & optatum vocationis Eventum: Paulus, scribens, Nulam vocationis causam agnoscit, nisi propositum DEI gratiosum. Omnia nobis adimit, ut totum divino det proposito. Eadem hac in parte Electionis est ratio: Nec enim plus in eligendis DEUS ab æterno prævidit, quam in vocandis: utq; propositum vocationis sanctæ ordine antecessit prævisionem obedientiæ, quæ & ipsa ex proposito fluxura erat: Ita propositum Electionis antecessit quoq; fidem, quæ ex proposito derivanda fuerat, & sic prævisa. Non alia quidē ratio Electionis & vocationis, obsequium vocatorū & fidem includentis, juxta pronuntiatum Apostoli Rom. VIII. quos prædestinavit, eos & vocavit At quam larga eorum messis est, qui gratiæ divinæ, & vocationi generali ἠὲ καὶ λαὸν recalcitrant. Invito vos & renuistis: Extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne Consilium meum, & increpationes meas neglexistis, conqueritur Jehova Proverb. I, 24. 25. Adde, quæ extant Es. V, 1. 2. 3. Ezech. XII, 2. Matth. XXIII, 7. Luc. VII, 30 Job. V, 2. 40. Act. VII, 51. & XIII, 46. Quot homines naturalem DEI notitiam, tam σύμφυτον, quàm ἐπισημῶν, ritè usurpare, ceu adminiculum in patefactionem DEI ulteriorem inquirendi, renuunt? Ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογομοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοπίθη ἡ ἀσύνητὸς αὐτῶν καρδία. Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Quot ad Evangelii lucem, cum affulgere cepit, oculos malitiosè claudunt, h. e. veram lucem in hunc mundum venientem non recipiūt, sed tenebras magis, quam lucem diligunt Joh. III, 19. cumque vel integrum sacrarum literarum codicem admittant, ut Turcæ in Alcorano, vel aliquam partem Testamenti, putò verus, ut Judæi, nihilominus hunc gratiæ librum lectione dedignantur, & vel nudo Alcorano Mahometico, vel Thalmud Judaico, sibi delicias faciunt?*



unt? Quot de cœtu sunt Christianorum, qui in varias scinduntur se-  
ctas, atq; vel huic adherere, vel isti Hæresiarchè malunt, quam unico  
illi Magistro ἀυτοπισω, quem nobis vox Patris cœlestis commendat,  
Matt. III, 17, & XVII, 5. Imò quanto agmine illi ipsi, qui in Ecclesiæ  
Catholicæ gremio externo degunt, doctrinæ cœlestis epulas suq; deq;  
habent, vel in visendo agro, vel in probandis bovibus, vel in exercendâ  
negotiatione se occupantes? Luc. XIV. Quot Auditores vel mentis e-  
vagationem patiuntur, Diabolo semen ad viam sparsum cordibus surri-  
piente? vel illud curarum sentibus suffocant? vel metu impendentium  
periculorum terrefacti, radices agere prohibent? Luc. VIII. Quot  
mero novitatis studio ducuntur, cum Herode Luc. XXIII & Felice ac  
Drusilla Act. XXIV. Quot solam calumniandi occasionem captant,  
cum Judæis Act. XIII. Quot erroribus, qui antea penitus animo inse-  
derunt, nuntium mittere erubescunt, cum Phariseis Luc. XI. Quot  
aliorum effundere gratiam, ingenuâ veritatis confessione, verentur,  
cum Judæorum magnatibus Joh. XII. Quot novas comminiscuntur,  
quæ ad salutem ducant, vias, cum Judæis iisdem Rom. IX, 11. Quot  
Angeronæ & Abdomini famulantur, omnemq; religionem precio & pa-  
lato addictam gerunt, cum obscuris terræ filiis? Quot, cum semel il-  
luminati fuerint, & gustaverint donum cœlestis, ac participes facti sint  
Spiritus S. postea relabuntur, Filium DEI conculcant, sanguinemq;  
Testamenti, quo sanctificati sunt, pollutum ducunt, & Spiritum gra-  
tiæ contumeliâ afficiunt! Hebr. VI, 5. 6. & c. c. X, 30.

XXXIV. In Septimo & ultimo argumento: Si fides & San-  
ctitas in eligendo homine fuit prævisa, & tanquam conditio qua-  
dam in objecto Electionis requisita, sequitur Objectum Electionis  
fuisse hominem per Gratiâ iam instauratum, justificatum & in  
ipso limine æternæ vitæ constitutum. Atqui falsum consequens. B.  
Ambiguâ phrasi homo dicitur in limine æternæ vitæ constitutus. Si de  
re ipsa, h. e. reali beatitudinis possessione, intelligatur, negamus Majo-  
rem; Sin de spe solâ, negatur Minor, ex illo Paulino Rom. VIII,  
24. ἐλπιδὶ ἐσώθημεν. Quales sc. hac in vita actu existunt, secundum  
ordinem divinitus sancitum, quos DEVS in tempore glorificat, tales e-  
ssiam glorificare ab æterno decrevit.

XXXV. Ad indignationem & increpationem B. Gerhardi æ-  
quitati maximè consentaneam; Pudeat tantum Rectorem talium  
pueri-

puerilitatum; non est, quod Wendelin, thraſonicè reboet: Noveris  
 Gerharde, in veritatis inter nos controverſæ aſſertione, me Tibi non  
 cedere, neq; plus tibi in me licere, quàm in Te mihi. Caveant ſibi, quot-  
 quot Wendelino ſocias operas, in propugnando abſoluto Electionis &  
 reprobationis decreto jungunt, ne cedere aliquando palmam, in tenta-  
 tionis agone, ſtygiis hoſti, cogantur, & ex arenâ cum æterno animæ e-  
 xitio diſcedere, ad exemplum Rectoris illius Scholæ Cyngerinæ in Vnga-  
 ria, Petri Hoſvani, Tragicum & exitialem ex hac vitâ exitum ſortiti,  
 cum ex hypotheſi Calvinistica, in deſperationis barathrum præcipita-  
 tus, laqueo ſibi ipſi gulam fregiſſet, relictis Teſtamenti loco in Scheda  
 conſcriptis hiſ verbis, Anno 62, ſeculi ſuperioris, d. 22. Julii: Pecca-  
 tum in Spiritum S. eſt, Hominem peccando cum DEO ludere, & ita undiq;  
 Sententia Legis divinæ conſtrictum teneri, ut quo evadat neſciat, ſed ipſe  
 ſeſe reum æternæ damnationis pronuntiet, quod mihi miſero nunc acci-  
 dit, ut æternis damnationibus addiſtus detrudat ad non finienda tar-  
 tara. Externâ Sanctitate DEUM fallere non poſſumus. O me infelicif-  
 ſimum omnium, quia ſatius fuiſſet me nunquam natum! Verum eſt, cer-  
 tum eſſe numerum ſalvatorum, hoc ex me animadvertite, ſed quid ad  
 me? hoc ita neceſſario fieri debuit. Nemo igitur argumentetur: DEUS o-  
 mnes vocat, longè ſecus ſe res habet, Calvini ſententiam de certo Prædeſti-  
 natorum numero, Itſm Auguſtini quiſq; teneat; De me intelligo, Quemlibet  
 ante uterum matris prædeſtinatum vel ad vitam vel ad mortē, quod nun-  
 quam quiquam niſi in hora mortis cognoscere poſteſt. Ego ſum ex nu-  
 mero damnatorum; E. DEO nunquam aſcribi poſſum. Hoc certò cre-  
 datis rectum eſſe, quod Paulus Rom. IX. ſcribit Miſereor cujus miſereor. Da-  
 mnatus ab initio damnatus, & juſtificatus, ab initio juſtificatus. Neminem  
 per Externa bona opera, aut mala opera, ſalvat aut condemnat DEUS, ſunt  
 occuſiores cauſæ. Vado igitur æternum dedecus Patriæ, fui figmentum  
 vas formatum in ignominiam, nunc omnium peccatorum me aggreſſa eſt  
 magnitudo, nunc horror Diaboli malus. Diſcedo igitur ad lacus interna-  
 les. DEO vos commendo, cujus miſericordia mihi negata eſt. Occulti-  
 or autem eſt hujus rei Cauſa, quam ut humana ratio perſpicere poſſit.  
 Vid. Georg. Major in Comment. ſuper 2. Tim. II. cap. & Eſai. Silberſchlag.  
 Concion. 6. de prædeſtinat. Lit. E. Huc tandem tendit abſolutum Re-  
 probationis & Electionis decretum, pro quo, tanquam pro aris & focis,  
 Calviniani dimicant; Cum univerſa Scriptura, adeoq; omnia quæ de  
 Electione ſacris literis ov̄μφωρα traduntur, eo ſpectent, ut per pati-  
 entiam & Conſolationem ſpem habeamus, Rom. XV, 4. Cætera  
 ipſi Conſlictui reſervata ſunto.





*Quem Fama differt per Scholarum pulpita  
Hac perge, quâ jam semitâ te ducere  
Religio cœpit, & J E H O V Æ nobile  
Eris organum sacro in choro fidelium.*

*Auctori*

**M. Gedeon Strotzki**

*vovit.*



**EXIMIO & PRÆSTANTISSIMO**

**DN. RESPONDENTI,**

**AMICO HONORATISSIMO.**

**S**omnia Wendlini solidè malefana refutas,  
Ostendens sancto codice Velle D E I;  
**CHRISTUM** sufficiens pretium solvisse parenti,  
Omneis ut caperent regna beata poli.  
Horrida sed quoties Reproborû fex petit antra,  
Fex petit antra, D E I non tamen auxilio.  
Ostensamq; viam dum negligit illa salutis,  
Inferni in barathrum spontè cadit misera.  
Maeste animo forti, gratam pertexere telam  
Pergas, sudoris præmia digna feres.  
Præmia si tellus retrahit, tamen illa negabit  
Nunquam coelestis Gratia, summa dabit.

*L. M. Q.*

**M. JOHANNES CORFINIUS.**


**Tunc**



**T**une *Heidmanne*, mei pars dilectissima cordis  
Cui genua & vires ingeniumq; vigent.  
Audes sublimi te jam committere pugnae  
Quae nondum canis est bene nota viris?  
Arduum opus fateor tentas, ast summa manebit  
Ausus, si pergas, gloria, amice, tuos.  
Hanc tibi *Philosophia*, tibi quoque *Thejologia*  
Ut cumulata queas praemia ferre, dabit.

*Suo Heidmanno ita gratulari  
voluit*

*M. PETRUS RHARIUS.*



**A** *Nne HEIDMANNE* tibi valupe est quoque bella  
movere?

*Orbem dum totum sevis Bellona cruenta  
Armis devastat, patriae meditatur atroxq;  
Hostis perniciem, quae so, aspice diruta tecta,  
Vulnera tot miseris nostris inflicta tuere,  
Qui cunctis exuti opibus pulsando aliena  
Ostia latrantem satiant stomachumq;, sitimq;  
Restinguunt, facies haec nonne miserrima rerum  
Ausus dissuadet, melioraq; suggerit? arma  
Ut ponas haec, & dulcem amplectare quietem.  
Quenam causa? petas cupidus quod viscera ma-  
tris,*


*Vi magna irrumpens in foetum, provida gestat  
Quem*



Restaurierung  
H. D. Lomp  
36110 Schlitz








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



THEOLOGICA

15

natione,

RHARDO,

tra  
citationem VIII.

DC. LVI.

est,

LÆO

rum Academiae

NDO,

Spiritus S. Gratiã,

randæ Facultatis

ogicæ,

S I D E

Go, S. Theol. D.

e Regio,

DENTE

EIDEMANNO,

rgensi,

lico subjecta

embr. horis matut.



SWALDIÆ

d. Typographi exscripta.

